[illegible] [illegible] num. 2. lib. 4 [illegible]

[illegible] 50 [illegible]

CASPARIS DORNAVI

MENENIVS AGRIPPA,

Hoc est,

CORPORIS HVMANI CVM REPVBLICA PERPETVA COMPARATIO:

OBSERVATIONIBVS HISTORICIS, Ethicis, Oeconomicis, Politicis, Physicis, Medicis illustrata.



HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud hæredes IOANNIS AVBRII.
M. DC. XV.

ILLVSTR.^mo ET POTENT.^mo
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. IOANNI GEORGIO,

MARCHIONI BRANDEBVRG.

BORVSS. STETIN. POMERAN.
CASSVB. VANDAL. NEC NON IN SILES.
CROSNÆ ET CARNOVIÆ DVCI,

BVRGGRAVIO NORINBERG. PRINCIPI
RVGIÆ, ILLVSTRISS. VTRIVSQVE SILES.
ORDIN. MILITIÆ PRÆFECTO, &c.

PIO, IVSTO, FORTI, SAPIENTI,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO;

HANC HOMINIS PHYSICO-POLITICI
HARMONIAM

O. D. C.

CASPAR DORNAVIVS D.

ἀρετῇ καὶ χάριτι.

PRÆLOQVIVM.

QVicunque Princeps potentiſſime, de Republica ſcire aliquid & iudicare valent; ſic animum induxerunt ſuum: nullam eſſe expeditiorem viam, ſalutem publicam prouehendi: quàm ſi Magiſtratus & ciues Naturam, eiuſque veſtigia in corpore humano potiſſimùm expreſſa, ad intuendum ſibi proponant, & imitandum. Natura enim, vt vbique ſic in μικροκόσμῳ maximè, cùm Dei ſit quaſi quædam amanuenſis; tam examuſſim res conficit ſuas: vt illam ſequentibus ducem, non modò imponere non poteſt inſanus error: ſed facilia quoque & beata contingant omnia: contra illam viuentibus, Cic.1. de leg.

Senec. in ep. non alia vita, quàm contra aquam nauigãtibus, ducenda veniat. *Quæ caussa extitit; cur sapientis doctrinæ Magistri, cum Respublicas corroborare salubribus vellent præceptis; è medio homine simulachra depromenda esse, totque mysteria applicanda ad vsum publicum statuerint. Præterquam enim quòd* * ἡ γνῶσις τῶ ὁμοίῳ τῶ ὁμοίῳ *formatur (Empedocli fuit diuerbium) facilius quoque sui imaginem, sed & tenacius imprimit memoriæ illud; quod subinde vsurpamus oculis; quod in domicilio animi nostri identidem circumferimus. Sapienter itaque,* Menenius Agrippa *meo iudicio, cùm plebs Romana in montem propè Aniene secessisset, reuocaturus eam ad obseruantiam Patrum, ad sui corporis œconomiam deducit, atque etiam mitigat, humanitati adsuetam.* Tempore, *ait,* quo in homine non, vt nunc, omnia in vnum consentiebant, sed singu-

** Cognitio similis simili. Plato in Phæd.*

Dionys. Halycarnas. lib. 6. antiq. Rom.

Liu. lib. 2. decad. 1.

lis

lis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes, suâ curâ, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud quàm datis voluptatibus frui: conspirâsse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum; nec dentes conficerent. Hac irâ dum ventrem fame domare vellent; ipsa vnà membra totumque corpus ad extremã tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali eum, quàm alere, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus vigemusque, diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. *Sapiens profectò, cedroque dignum sapientissimi hominis eloquium! Cui adfinia cùm obseruarem hinc inde sparsa quædam apud bonos autores; cœpi cogitare: vt Basileæ olim disputatione publicâ gustum dederam; ita operæ futurum pretium: si continuo quodam sermonis genere, totius hu-*

mani corporis harmonia cum Republica formaretur. Feci illud: & quod mihi sub manu natum est opusculum, MENENIVM AGRIPPAM, caußâ iam liquidâ, putaui inscribendum. Tantò verò in hac vniuersa re versatus fui confidentius, quòd ter maximum illum gentium Doctorem suffragari & mihi & Agrippæ penè iisdem verbis viderem. Quid enim aliud sibi vult oraculum sacrosanctum? * οὐ δύναται, *ait Apostolus,* ὁ ὀφθαλμὸς εἰπεῖν τῇ χειρί: χρείαν σοῦ οὐκ ἔχω: ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσὶ χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον τὰ δοκοῦντα μέλη τοῦ σώματος ἀσθενέστερα ὑπάρχειν, ἀναγκαῖά ἐστι &c. μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη. *Equidem videbor multis non attingere voti mei*

** Non potest oculus dicere manui. Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus. Non est mihi vobis opus. Imò multò potius, quæ videntur membra corporis infirmissima esse, necessaria sunt, &c.* 1. Corinth. 12. v. 21. 22. *Ne sit dissidium in corpore: sed membra idem curent, alia pro aliis.* Ib. v. 25.

apicem;

apicem, aut satisfacere vndiquaque aliorum exspectationi. Illi ipsi tamen, si videri volunt cum Gratiis aliquod & æquitate habere commercium, meminerint; quando ego archetypum ante oculos habui nullum: difficillimum esse, glaciem, quod dicitur, frangere: expeditum verò patere traiectum fluminis, etiam pediti; cùm inuentum vadum apertumque fuerit. Verùm vt spe mihi præsumam æquiores iudices, autoritas Tua maiestasq; efficit, Princeps ILLVSTR^mi^*: in cuius potentia patrocinium mihi quærendum duxi. Tuum enim quidni ad puluinare deponam hoc munusculum? Ea est ingenii Tui alacritas, ea promptitudo iudicii & admiranda perspicacitas: vt de hoc argumento omni, facili negocio, quamcunque in partem Te dederis, censuram ferre queas grauissimam. Ad illud enim natus es; hac*

hac fini institutus; ita consueuisti hactenus: vt ad diuinarũ humanarumq; rerum cognitionem, pietatem cum prudentia coniungendam, seiungendam nullo diuortio iudicares. Hæc illa est duplex anchora, solida, tuta: quâ nisi Principum nitatur nauis, consequi Respublica beatitatis portum nequit. Ac quemadmodum pietatem suxisti ipse, non ex humanarum traditionum lacunis; sed è purißimis Israëlis fontibus: sic illud agis in Principatu tuo vnicè: vt, quod decet maximè, liceat quoq;, μὴ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις, vt Iustinus Martyr loquitur, διευθύνειν τὰ θεῖα: ἀλλὰ πρὸς τὸ βούλημα τῆς διδασκαλίας τοῦ πνεύματος, τῶν λόγων ποιεῖσθαι τὴν ἔκθεσιν. Quod si verò nudâ sit Princeps atque ociosâ pietate indutus; non item prudentiæ ornatus veste: nec ciuilem viuendi rationem didicerit: ei, ex Nice-*

phori

* non ad humanas rationes dirigere res diuinas: sed ad sensum voluntatemq; doctrinæ spiritus interpretationem accommodare. Iustin. Mart. in expos. fidei de recta cõfess.

Niceph. l. 4.

phori opinione, montes potius & speluncæ conuenient; quàm sceptrum & tribunal in tanta ingeniorum varietate. Tu itaq; etiam in sceptro oculum geris: hoc est, præter pietatis exercitia, ea prospicis, cum Chalcante Homerico,

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. Virg. 4. Georg.

Tu non modò bonum discriminare à malo, verũ à falso tenes: sed etiam versari rectè cum aliis nosti; captare occasiones; verbis magnificè, reb. prouidenter vti; ad omnem consultationẽ & tempus & diligentiam adhibere; operam & oleum in reb. vanis minusq; necessariis non perdere. Id sanè præstitisti hactenus, & togâ indutus; & cùm sago vtendum esset. Non enim oblite-rabit antiquitas memoriam illius æui; quo in Episcopatu Tuo Argentinensi tutatus es dignitatem Tuam, expeditionibus armorum non vnis; laude maximâ, non minori dexteritate: quanquam tum peradolescens videri poteras. Nimirũ ex Te nosse debebant mortales: quod suum etiam Adolescentib. cum Minerua est consortiũ: quòd

Arist. l. 6. Eth. c. 5.

* Nascũtur & iuuenibus inter viros cani crebrò etiam præter ætatis iustũ legitimumq; tempus. Pindar. Olymp. Od. 5.

* φύονται (δ') καὶ νέοις
ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
ἐοικότα χρόνον,.

Nec destitisti, in Vngaria quoq; & Belgio periclitari —— graue Martis opus: *vt esset, vnde olim communi Patriæ consultum ires magnanimitate Tuâ & fortitudine: in qua tota nunc Silesia, addo etiã aliæ regiones quasi præsidiũ quoddam collocatũ habent. Et quia, Seneca scito,* nunquam Imperator bonus ita paci credit, vt nõ se præparet bello: *Tu sub alta pace & consilia inis, quæ, si fortè (vtinam nunquam) opus sit, iusto necessarioq; bello seruiant: & adminicula comparas in rem eandem; inprimis equorũ delectũ, exploratæ generositatis & amœnæ indolis: qualis est eorum, quos in Carnouiensi Tuo Ducatu educas. Equidẽ non infitebor: infamiæ est, an insaniæ proximũ; quod Poppea Sabina, Neronis vxor, suis equis parabat aureos calceos: & Caligula equũ suũ, cui nomẽ fecerat Velocissimo, crebrò ad cœnã inuitabat; hordeo & vino in vasis poculisq; aureis excipiebat.*

De vita beat.

Dion in Calig.

Vicißim & illud est infra dignitatem Principis; si aut sordente auaritiâ, aut ignauiâ pudẽdâ insuper habeat tàm nobile animal, tàm ingeniosum, fidele, piũ; bello paciq; natũ, & planè necessariũ: cuius ipse Jehoua illustre præconiũ apud Hiobũ in orbis terræ memoriã sempiternã disseminauit. Cæterũ quæ mihi oratio expromenda de inuidenda Tua affabilitate & humanitate (nõ enim est indignũ Principe, inter tot publicè illustres virtutes, priuata quoq; laude exornari) quâ certè, si quoquam alio, publicus Hiobi 39. v. 22. & seq.

—— ardescit amor; cum moribus æquis
Inclinat populo regale modestia culmen. Claud. 6. Honor.

Quæ omnia cũ in Te exsplendere animaduerterẽ; non dubitaui Agrippã hunc meũ eiusmodi cõmendare Principi; qui tum ipse in sinu foueretur à Musis & Gratiis; tum honorifica iudicia de literatis faceret. Ac fui sanè tantò audentior: posteaquam serenißimi adfectus Tui radiis me quoq;, nullo meo merito, dignari visus es: indiciũ faciente Consiliario Tuo Nobilißimo, Wernero Castillionéo: cuius ego familiæ antiqui-

tatem, & virtutē planè talem semper æstimio habui maximo. Quid ergo trepidus accedā ad prehendendū genu Clemētißimi Patroni? Vnum est, q̄ rogo demißâ animi subiectione: vt acceptaturus leuidense hoc munusculum, nō tàm meis precib. quā benignißimæ naturæ Tuæ obsequaris. Huic, sat scio, negare nihil poteris: hac me in spem erigit; vt certò statuā: illud me impetrasse; à quo exorando pudor meus subrusticus, parum aberat, quin me submouisset. Deus ter Opt. Max. porrò excitet virtutes Tuas, augeatq; ad Ecclesiæ salutem, Reipublicæ commodum, ornamentum familiæ Tuæ augustißimæ. Et faciet: quippe idem

* Θεὸς ἐπίτροπος ἐ-
ὼν, παῖσι μήδεται
ἔχων τοῦτο κῆδος ----
μεριμναῖς.

** Deus custos existens tuis prouidet curis, habens hanc solicitudinē.* Pindar. Olymp. Od. 1.

Vale diutißime, Principū ocelle; flore, vige felicißimè: serenißimiq; fauoris Tui strictūris ne me dedignare, Celsit. T. & potentißimæ domui Brandenburgicæ ad deuota Fidciarā obligatū. Gorlic I. Kal. Iun. an. CIↃ. IↃ. CXV.

CORPO-

CORPORIS HVMANI CVM REPVBLICA COMPARATIO.

SI quid eſt ingenio hominum lucis; vnde rem aliquam nuncupare poſſimus nomine conuenientiſſimo: id mihi, quantum iudicare valeo, in eo maximè videtur eminuiſſe; qui ædificium hoc ampliſſimum, ex cœlis elementiſq; fabrefactum, Mundum primus appellauit. Tam enim amœnâ pulchritudine ornata ſunt in eo omnia; ſupera, infera, ſimplicia, mixta: vt nihil neque ad magnificentiam magnificentius; nihil decentius ad decorum; ad ordinem nihil concinnius; nihil ad ſapientiam ſapientius aut perfectius excogitari, ac ne fingi quidem poſſit. Quanquam verò nobis in eadem rerum omnium compage, videantur quædam inordinata, & monſtroſa, & noxia: nihil tamen ex iis dari poteſt; quod non dirigat prouidentia DEI ad gloriam ſuam: neq;

Ariſt. lib. de mundo c. 6 Plin. lib. 2. cap. 4.

Non alio mundus debebat nomine dici; Nomen ab ornatu conſententer habet.

tàm imperfectum est quidquam; quod non, in suo genere, per formam ex materia perfectionē adsequatur. Atq; ex iis, quæ letifera sunt vni speciei, multa bestiis aut plantis nutrimentum præbent delicatissimum:

Quippe videre licet, pinguescere sæpè cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum. — *Lucret.*

Quæ cum ita sint; mirandus, an execrandus est Arragoniæ Rex piacularis; qui opinatione vanissimæ suæ scientiæ iactare fuit ausus: mundum se melius constituere voluisse; modò in ipsa creationis molitione Architecto adstitisset. Quantò satiùs est, cum reuerentia agnoscere, fateri, profiteri: totum hoc admirabile theatrum esse * παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας καὶ βιβλίον ἔγγραφον, ὑπαγορευόμενον τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν, τὴν ἀπόκρυφον καὶ ἀόρατον τοῦ θεοῦ: μεγαλοσύνην δι' αὐτῆς διαγγέλλον σοὶ τῷ νοῦν ἔχοντι εἰς κατανόησιν ἀληθείας. Atq; id eò magis rationem superat omnem; quod, cùm quælibet corpora sub lunæ globo, ex naturis conflata sint contrariis atq; discrepantibus; amicâ tamen inter se, & cum cœlestibus conspiratione,

Toletan lib. 4. cap. 5.

** Scholam cognoscendi Deum & librum scriptum, indicantem gloriam Dei occultam, & per se annunciantem tibi cordato inuisibilem Dei magnificentiam ad cognoscendam veritatē.* BASIL.

——— digesta mouentur
Ordine cuncta suo; manet irreuocabile munus:
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurnâ: — *Dracont. in Hexaëm.*

vt quantus quantus hîc existit mundus; qui certè maximus est; nihil nisi harmonia & amicitia dici mereatur. Nihil hoc loco dicam de mutua inter sidera familiaritate: tacebo consensum elementorum; prçteribo adfinitates lapidum, metallorum, plantarum, animalium. Vnus mihi prodeat homo; quem naturæ delitias, & exem- — *Plin. & Theophrast.*

plar

plar vniuersi, iure sapientissimi quiq; statuerunt. Eius si structuram considero, & membrorum proportionem atq; vsum: sic animum induco meum: suauissimam esse coniunctionem ac similitudinem, inter corpus humanum, & illud, quod politiam, ciuitatē aut Remp. nominamus. Quæ nostra assertio, si cui noua videtur, aut insolens (neq; enim memini, à quoquam sub styli incude materiam hanc fuisse tractatam) is periclitanti mihi ingenii mei vireculas, tamdiu faueat: dum ex humano corpore imagines ciuilis societatis in aspectū publicū ꝓtulero. Atq; vt idē sit exorsus dissertationis nostræ, qui est fabricæ humani corporis: certū est, atq; etiam admirabile; maximæ molis principium esse minimum. *Quàm exigua* enim *seminis est portio; vnde rudimenta partium, quasi stamina conformantur: dum sanguis maternus, & ipse quantitatis modicæ, superuentu suo subtegmen præbeat: & vtriusque miscellâ fœtus informetur.* Ciuitatis amplissimæ itidem, & vastissimorum regnorum origo tàm fuit exilis aliquando; vt ferè contemptibilis esse videretur. Quid illa

Galen. de sem. c. 4. & 5. & com. 1. in lib. de natura Hipp. tex. 37.

Vt homo concipitur ex paucissimo semine:

Sic Respubl. constituitur principiis exiguis.

Martial.

> *Terrarum Dea Gentiumq; Roma,*
> *Cui par est nihil, & nihil secundum?*

Roma illa;

Claudian.

> *Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,*
> *Nec laudem vox vlla capit. quæ luce metalli*
> *Æmula vicinis fastigia conserit astris.*

Liu. in princip. histor.

Cœpit tamen perexiguo ortu, ex vili pastorum pari; quos Laurentia lupa, in tuguriolo ad tanti imperii magnitudinem educauit. Quid in Asia, Africa, Europa maius vel est, vel esse potuit ditione Turcarum principis? Atqui hæc

amplitudo omnis authorem habet hominem pauperculum, Mahumetem; qui ex pastore factus latrunculus, ex latrunculo institor, ex institore heræ vetulæ maritus, armis atque superstitione principatum stabiliuit. *Priusquam verò humana forma proferatur, ex prima genitura massa, nobili eâ quidem & spiritu viuifico perfusâ : opus est corrumpi eam : quum nihil generet ex alio natura, nisi istâ lege vt aliquid corrumpat.* Quod in Rebuspubl. omnibus videre est: & luculentissimè in quatuor summis, vt vocant, imperiis: quorum vnum ex alterius ruina sumsit incrementum. Certè nisi Aquileia deuastata ab Attila fuisset; compulsis ad æstuaria maris Adriatici incolis: nequaquam Venetiarum vrbs ad tàm potentem magnificentiam, & tam magnificam potentiam peruenisset: vt cum ipsa Roma sponsionem de dignitate facere ausit. Sic enim illius nomine Neptunus:

Vt feminis substantia corrumpitur ante, quam homo fiat: Sic corruptio vnius ciuitatis est generatio alterius.

Aristot. 1. de gener. & corr. tex. 17.

Machiauel. lib. 1. histor. Florent.

Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers; vrbem adspice vtramq;:
Illam homines dices; hanc posuisse Deos.

Sannazar. in epigram.

Ac dum matrix nobilissima, & propemodum diuina fauissa contrahit se; retentum semen complexu arctissimo, ne effluat, ambiens: spiritus, instrumentum animæ, nunquam ociosæ, effingit membranas extenditq;. His circumtegitur embryo tenellus vndique, & accuratè quasi obuallatur: vt non modò tenacius adhærescat vtero; sed etiam à vicinarum partium duritie, & aliâ iniuriâ lædi nequeat. Faciunt idem, qui vrbes condere volunt; siue ad securitatem conuenientiũ; siue in societate viuendi, eamq; augẽdi vtilitatẽ.

Vt membrana cingunt fœtum, ad securitatem:

Sic muri circumtegunt vrbem ad defensionẽ.

Arist. lib. 2. de gener. c. 3. & 7. histor. anim. c. 7. Galen. l. 2. de sem. Fernel. l. 7. phys. cap 9. Andr. Laur. lib. 8. anat. cap. 5. Cic. 3. Offic.

Simul

Var. lib. 4. de ling. Lat. Non. Marcell. l. 139. ff. de verb. signif.

Diodor. Sicul. lib. 20.

Plato in Timaeo. Galen. lib. 2. de semin. Aristo. lib. 2. de gener. animal. c. 4. Fernel. lib. 7. physf. c. 9.

Vt principalia viscera & vasa primò in seminali massa figurantur:

Sic in ciuitate ædificia publica præ cæteris designantur.

Patrit. lib. 8. de repub. tit. 5. & 6.

Simul enim atque vruo describere vrbem volebant antiquitus; mœniis loca primum designabant, quod iis totum Reipubl. corpus, tanquam sepimento tueri se possit. Quo nomine sancti hi ciuitatum muri habebantur, & inuiolabiles; & quodammodo diuini iuris: vt Carthaginenses, in luctu publico, non dubitauerint pannis nigris eosdem tegere: quod etiam tunc fecerunt; cum classis sua contra Agathoclem missa, in Siculo mari absorpta fluctibus fuit. *Etsi verò formator spiritus, per totam seminis massam sese librans, partium omnium seminalium rudimenta, primis quasi lineis, simul & semel adumbrat: nobiliora tamen vasa, & viscera principalia, venæ, arteriæ, nerui, epar, cor, cerebrũ, præ cæteris eminent atque apparent.* An dissimilis est naturæ, qui vrbes exstruit? Equidem is aratri sulco, omnem sed promiscuè atque indiscretè ædificiorum seriem ciuibus, vnâ eademque operâ describit. Illud autem præcipuè agit; vt locis salubribus, & oportunis, & naturâ munitis publica ædificia collocentur primitus, aut designentur; regia ipsa, templa, gymnasia, curia, granaria, ærarium, armamentarium. Ea cum ad publicam salutem pertinere omnia viderentur; destinatus iis parandis reparandisque, apud Romanos fuit Magistratus ædilium honorificentissimus: cuius ipse populus

Sil. Ital. 8. Punic.

——sellas eboris decorauit honore Curules.

Arist. 1. de gener. anim. c. 2. & 3. Galen. lib. 14. de vsu part. c. 10.

Vt semen ex vniuerso corpore defluit:

Si quis verò miretur; quid sit: quod cum à solis testibus semen, & vim suam prolificam & colorem accipiat: omnium tamen partium referat speciem ac naturam: sæpè etiam liberi ex pleraque parte parentibus similes

exſiſtant. Notum enim eſſe, atq; in confeſſo eruditis arbitror: in Chalcedone puellũ viſum, qui patris ſtigmata, brachio dextro inuſta, in eodẽ brachio ſtatim à primis incunabulis oſtenderit. Verùm hîc animus referẽdus eſt ad ſpiritus puriſſimos, ac pernicitate agilimos. Hi enim, per omnẽ corporis regionẽ diſcurrentes, ad teſtes quoq; confluunt: illuc ſanguini, ex omni venarum genere deciduo, naturã partiũ aduehunt; quarũ anteà ideã, ſibi impreſſam, ex familiaritate cũ ipſis partib. habebant. Quocirca hoc ſenſu, ὁ γόνος ἔρχεται παντόθεν τοῦ σώματος, cũ diuino ſene, dicere meritò poſſumus.* In Rep. primitùs fundãda, æmulus & hîc eſt Naturæ princeps; præſertim in coloniis conſtituendis. Tum enim, ex omni ciuium ordine, deligit variarum artium & partium homines, quos ad Rempub. alio cœlo formandam, ſub vexillo in locum deſignatum transfert: legibus inter ſe in ſocietatem corpuſq; nouum deuincit. Quoties ſuperiori ſeculo vidimus; quoties hac tempeſtate experimur? cum claſſe Anglorum, Gallorum, Belgarum, præcipuè potentiſſimi Regis Hiſpaniarum, vtrumque orbem compleuiſſe coloniis gentem numero plurimam, vitæ genere diuerſam: in qua nouarum ciuitatum ſemina eſſe comprehenſa dixeris: quo ipſo nihil ſalubrius, ſiue ad ſtabiliendum, ſiue continendum imperium. *Verùm ne inprimis hærere diutius videamur rudimentis; ad penitius examen corporis peruenire, tempeſtiuum eſſe arbitror. Ac dum illius partes, communi Philoſophorum & Medicorum decreto in ſimilares ac diſſimilares diſpeſcuntur: ex ſimilarium cenſu, naturæ ordine, ſeſe offerunt hîc oſſa, cartilagines, ligamenta; illic membrana, fibra, ner-*

Ariſt. lib. 1. de gener. anim. c. 17.

Andr. Laur. lib. 8. anat. quæſt. 4.

** Semen ex toto corpore defluere. Hippocr. de morb. ſac. & de aër. aq. & loc.*

Sic coloniæ ex omni hominum genere ducuntur.

Cic. in Rull. Appian. l. 2.

Vt nulla particula in corpore eſt inutilis.

Ariſtot. 1. de hiſt. an. c. 1. Gal. n. lib. de opt. conſtit.

uus,

nus; alibi arteria, vena; omnia ex crassamento seminis generata: quib. accedunt & caro & cutis; quarum vtraq. sanguini primordia sua debent. Ex quib dum sapientissima natura fingit reliqua corporis membra; illud certè dignum est immortalitatis cedro: quod in hac vniuersa corporis familia, nulla est particula tàm aut exilis aut spretæ conditionis; quin ob vsum aliquē nobilē commendatione sit dignißima. Vtinam in Repub. perinde omnes exigerentur ad faciendas operas: homines verò ociosi, validiq; mēdici, vel seruituti mancipar ētur; q. sapientissimè Valens edicto permisit: vel ad lapidicinas, aut fodienda metalla, aut militiā, aut alia publicè profutura vrgerētur. Æquior nimirum hæc lex foret; quàm vel Amasis illa, vel Draconis sanguine scripta: quæ ociosè viuentes occidi iussit. Quod si nemini desidiâ turpiq; inertiâ victitare liceret: saluarentur multorū fortunę; capita quoq; eorū, qui ob simplex furtū, nullâ rerum & corporū habitâ ratione, rigidè satis laqueo suffocantur; parū mitius, quā apud Indos, verub. eos ac varris transfigi mos erat. *Iam seruato ordine, qui rerum gerendarū, addo & dicendarū & docendarū anima esse consueuit; ex similariū numero ossa primò cognoscamus. His etsi, post pugnā Cimbricā, Massilienses, tantâ hominū strage editâ, vineas sepserint: Ochi quoq. Persarū Regis ossa, in gladiorū manubria versa fuerint: sapientißima tamē rerū opifex, Natura, ad cōmodū longè honestißimū & necessariū conseruando homini destinauit. Quid illud? Nimirū rectitudinē, & figuram, & commissuras toti homini tribuunt; stabilimen verò & robur præcipuum vniuerso corpori sustinendo: haud secus atq. bases & columnæ ædibus subiectæ.*

Galen. passim in lib. d. vsu part.

Sic in Rep. ociosi non ferantur.

Bodin. lib 3. de Rep. c. 8.

Herod. lib. 2. & 3. Diodor. Sic lib. 1.

Thom. Mor. lib. 2. Vtop.

Bodin. l. 6. de Rep. c. 6.

Plutarch. in Mario. Ælian. hist. var. Cic 2. de Nat. Deor. Grego. Nyss. c. 30. de opific. hom. Fernel. lib. 1. phys. c. 2. Galen. 2. de vsu part. c. 15.

Vt ossa sunt corporis sustētacula.

Sic Reipubl. fulcrum est maritus.

An quisquam negabit; in ciuitate talia fulcra esse maritos: qui, dum arctissimâ corporum animorumq; coniunctione, ex fœminis sobolem excitant; totam hanc societatem sustinent, fulciunt, propagant; collapsuram breui, absq; iis foret. *Planè, serpentum more, humi repere necesse haberemus; imò in se conciderent viscera omnia: nisi ossibus stabilirentur.* Seuerâ itaque animaduersione, apud Corinthios sepulturæ honore priuabantur cælibes: apud Athenienses, die quodam festo, à mulieribus circum aram tracti, flagris cædebantur. Tam ignominioso supplicio, operam vt coniugio darent, Remque augerent publicam, permouendi erant. *Cartilaginem verò videamus, proximâ ab osse naturâ, sed molliorem:* hæc vxor est. *Conuenit sanè inter naturæ venatores cartilagine iuuari ossium motus, laxâ articulatione iunctorum. Nam & facilior inde, & securior, & diuturnior est incessus noster, status & qualiscunque positus: cartilagine se articulis leuiter ingerente, & blandissimè iuxtà & tenacissimè applicante.* Elegans sanè vxoris, & quasi viuum simulachrum! Nam & ea obsequiosa fiat marito socia, in re familiari, labore, gaudio: cum pro lege, pro rege habeat: ei modestè

Plutarch. in Erotico. Cic. 2. de natur. Plat. 4. de legib. Dio lib. 56.

Gueuar. in horol. princ.

Vt cartilago arctissimè cohæret ossibus:

Aristo. lib. 1. de histor. animal. c. 1. Galen. 6 de vsu part. Fernel. lib. 1. physi. c. 2.

Sic vxor à marito non diffidat.

Arist. l. 1. œcon. c. 1.

—— obuiam eat, dicendo; Domine adsum:
Impera quiduis: neq; tibi ero in mora, neq; latebrosè
me abs tuo
Conspectu occultabo. ——

Plaut. in Trinum.

Vt cartilago non egreditur suâ cauâ:

Sic vxor tantum domestica tractat.

Atque *vt cartilagines intra ossium capita sinusq; sese continent; caueis suis aut acetabulis non diuelluntur:* sic vxoris est, sibi putare dictum, quod Telemachus matri inculcat:

*—— εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ἔργον ἐποίχεσθαι.

Munia verò capessere alia; & curiosiùs rimari, quæ gerantur extrinsecus: hunc quidem sexum dedecet: vt imprudentes sint, qui secreta mulieribus produnt: cum prohibitio cor faciat intumescere quasi; & ad effutiendum longè procliuius. *Ligamentum verò, dum ossa instar funiculi cum cartilaginibus colligat*: parentum nobis conditionem adumbrat: qui prolis generatione, amore longè arctius inter se coalescunt; vt ex aduerso

* ὀδυνηρόν ἐστιν εὐτυχοῦντα τῷ βίῳ
ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν.

At quam commodè, meliùs dicam prouidè, nulli implantantur nerui ligamentis; vt sensu careant omnia: ne ob perpetuos eorum motus, ægrimoniæ semper & querelis hominum vita exponeretur. Hic vos parentes, vos, inquam, mea compellat oratio; qui optimi estis, & liberos generâstis pessimos. Neque enim cor edere conuenit; cum nullâ vestrâ culpâ, hæc vlcera videtis, & cancros vestri animi: sed pectus ipsum quodam robore est obfirmandum: vt hos aculeos sentientes minimè sentiatis. Qui enim per Deum vel eximia floruerunt sapientiâ, vel virtute, vel fortunâ vsi sunt benignissimâ? quorum nō liberi, nepotes, posteri, vel bardi fuerunt ac fatui: vel petulantes, improbi, ore, linguâ, manu, totâ vitâ inquinatissimi? Fuit Adamo Cainus, patricida & apostata: Nohæ Chamus, scurrilis derisor patris: Isaco Esauus, parentis carnifex: erant Iacobo sui plagiarii, incesti, homicidæ,

** in domum profecta, tua opera administra, Telamque & colum, & ancillis impera Opus accelerare. Homer. ὀδυσσ. α.*

Iauell. ca. 6. tract. 2. Oec. Christ.

Galen. de vs. part. cap. 15.

** Dolorificares, si quis homo fortunatus Nullum habeat domi sua successorem.* Menand.

Andr. Laur. lib. 3. anatom. c. 13.

Vt ligamentum colligat ossa & cartilagines inter se:

Sic mariti & vxoris amor ex prole inualescit.

Vt ligamenta carent sensu:

Sic parentes fortiter ferant dolores ex liberorum incommodis, præsertim degenerum.

Moysi inertes & degeneres: Dauidi Absolon, incestuosus item parricida. *Adeste verò liberi, qui honestatem spectatis, & optatis secunda fortunæ vela: membranas mihi spectate, pari fide, pari sapientiâ. Illæ insignis sunt latitudinis; sunt in quamcunque partem extensibiles; vt superinduant omnia membra, & blando complexu tegant atq. sequantur.* Ita, liberi, obsequia vestra, studia, & quidquid ex vobis aut dulce proficisci, aut vtile potest, parentibus debetis. Præstò enim est Nemesis, rerum huiusmodi obseruatrix & vltrix: sæpè etiam parentum diræ & imprecationes, quibus execrantur liberos, fidem faciunt verissimo dicto:

* Δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐρινύες εἰσὶ τοκήων.

Res docet; cum membranæ disrumpuntur; aut à tegendis partibus fiunt diuiduæ: vel dolore adfici ipsas, vel inflammari, vel putrescere. Liberis quid fiat refractariæ ceruicis; loquetur Augustinus: cui, qui fidem deroget, nemo tam sine fronte inuenietur. Illius ergo testimonio, septem fratres, sorores tres; quod matrem tractâssent iniuriosiùs; ipsius maledicto hac pœnâ diuinitùs coërcebantur: vt corpore vniuerso, omnibusque artubus tremore ac palpitatione conuulsi, toto penè terrarum orbe vagarentur. Adeò ipsi erant nuntii atque indices suæ petulantiæ & impietatis. *Ordo nos ad neruum ducit: qui è cerebro, tanquam promptuario, animalem facultatem, vectore spiritu tenuissimo defert: vt subiectæ partes sentire ac moueri queant.* Similima est dominorum ratio: qui seruis debent opus, cibum, castigationem: quod cibus sine opere faciat ex seruo porcum; opus sine cibo asinum; ca-

stigatio

Vt membrana sunt sequaces in omnē partē: Sic liberi parentibus obsequia præstent.

Vt pessimè habent membrana disrupta: Sic infelices sunt liberi inobedietes.

Vt neruus adfert membris sensum & motum:

Sic Dominus necessaria vitæ adminicula seruis procuret.

Fernel. lib. 1. phys. c. 13. Andr. Laur. lib. 3. anatom. c. 23.

Plato lib. 4. & 11. de ll.

* *Diræ parentum sunt admodum atroces per terram.* Orphei dictum.

August. l. 2. de ciuit. Dei cap. 8.

Gal. lib. de sem. pass. Hippoc. lib. de loc. in hom. Arist. lib. 1. c. 5. œcon. Ecclef. c. 33. v. 25. Prouerb. c. 29. v. 21.

Galen. de form. fœt. cap. 5.

Bodin. lib. 1. de repub. c. 5. ex Ion. Pontano.

And. Laur. lib. 3. anato. cap. 26.

ſtigatio ſine vtroque canem. *Quo poſtremo tamen videndum: vt nerui ſubſtantia non inſuper habeatur: qui etiamſi præclara dona ad ſenſum conferat motumq́; mollis tamẽ eſt, ac naturæ medullaris.* Quorſum hoc? in exigendis à ſeruo pœnis, non aſper ſit adeò & plagoſus ſubinde herus: ne ſerui patientia in furorem tandem, heri verò perniciem cõuertatur. Non diſputabo hanc rem lentè, ſine exempli appoſitione. Seruus quidam cum acerbiùs tractaretur; domino abſente oſtia concludit; vxorẽ domini, contumelioſè adfectam, vinculis conſtringit: ac tres eius filios comprehendit. Vbi dominum videt redeuntem; vnum è tribus ex altiſſimo ſolario præcipitem dat: deinde ſecundũ. Pater tantâ rei atrocitate obſtupefactus, precibus & lachrymis ſupplex ſeruum exorare, ac modis omnibus placare conatur; vt tertio vitæ gratiam faciat. Seruus paciſcitur ſalutem filii eâ lege: vt dominus ſibi ipſi naſum amputet: iamque ex pacto amputauerat. Cum tantâ clade dominum vltus eſſet; tertium quoque deiecit: ac poſtremo vltionem de ſe ipſo, quam cogitabat dominus cepit. *Quid verò de villis prolaturi, ſeu fibras quis appellare malit? (inſana eſt enim de nominibus concertatio) Corpuſcula ea ſunt parua, exilium filamẽntorum inſtar: nec, quanquam ad motum & partium carnis maximè cuſtodiam pertinent, latè ſe diffundunt; quaſi exilitate ſuâ contentâ.* Vident hic ſerui, qui videre volunt; humili quadam animi demiſſione fidem præſtare hero, & ſine murmure obſequium: id iugum lenire; & naturæ ipſi conſentaneum eſſe.

Vt nerui ſunt naturâ molles:

Sic Domini ſint mites.

Vt villi exiguitate ſuâ cõtenti:

Sic ſerui humiles ſunto.

Quorsum enim natura in elementis, in plantis, in belluis ordinem dignitatis & seruitutis præscripsit? hominibus, quos illorum dominos constituit, imperium denegaret. *Caterùm vt altiùs proueheatur oratio nostra; quanta est amœnitatis, videre per innumerabiles venas, tanquam canales, sanguinem hinc inde, pro rata portione, singulis membris distribui! Qui nisi intra suam quasi custodiam se contineat; elapsus extra venas, incertoque limite exerrans aut putret, aut concrescit: aut certè emanans affatim, ita inundat corpus totum: vt mors ipsa diuortium animæ corporisq. faciat. Finiit mortalis vitæ curriculum soror quædam religiosa; & in militum oculis finiit: cum strictis & vibratis illorum gladiis terreretur; vt sanguis ab omni meatu corporis vndiquaque exstillaret.* Venarum mihi in Repub. sustinere vicem familiæ videntur. Neque enim pro dignitate humani generis est, aut maiestate Conditoris; tolli propinquorum ordines, vel confundi adfinium & cognatorum gradus. Infamis est Scytharum & tetra Garamantarum consuetudo: qui communes alebant vxores: liberos verò ex confuso hominum coitu, adiudicabant ei; cui formâ essent quàm similimi. Conseruentur ergo spectabiles familiæ: & *quemadmodùm venæ quibusdam in locis, epate maximè & pulmonibus, suis oscillis hiantes, mutuum sibi tradunt sanguinem atq. recipiunt:* pari ratione inter propinquos par est communicari officia, & iura;

—— vetus verbum hoc quidem est;
Communia esse amicorum inter se omnia.

Aristo. lib. 1. polit. ca. 3. & in eum Cajus.

Aristot. 3. de hist. an. c. 19.

Vt vena toti corpori seruant sanguinem.

Fernel. lib. 4 phys. cap. 7.

Leudan. in martyrolog.

Sic Rempublicam sustinēt familia.

Plato lib. 5. de Repub.

Pomp. Mela

Vt venæ sua sibi oscilla mutuò communicant:

Terent. in adelph.

*Constant. Varol. lib. 3. anat. c. 6. Andr. Laur. lib. 4. anato. ca. 7. ex Vesal. Piccolo. Fallopio. Tiraquel. de nobil. c. 15. Althus. cap. 3. polit. Numer. c. 1. vers. 6. * venã maximam & cauã. Hipp. de loc. Gal. 14. de vs. part. c. 7. & lib. 6. loc. adf. c. 5. Arist. 3 hist. anim. c. 16. Gal. lib. 8. de plac. c. 8. & 6. de vs. part. c. 17. & 11.*

Dicam pleniùs, quod sentio; vt ad venarum ἀναστόμωσιν accedam propiùs: cognatis ac familiaribus conueniunt priuilegia eadem; successiones mutuæ ac reciprocæ; vsurpatio eiusdem cognominis gentilitii atque insignium. *Horum omnium siue cognatorum, siue adfinium, princeps quidam esto & Præfectus. Talem Græci habebant Philarchum, & singulæ Iudæorum tribus: cuius præ cæteris comiter obseruanda est autoritas.* Nam & venæ, vtut ramis innumerabilibus fruticantes, vnum tamen habent truncum; quam * τὴν φλέβα μεγίστην καὶ κοίλην ob insignem cauitatem appellârunt: cui cum reliquis venis, quasi Oceano cum fluuiis, perpetua continuitas esse solet. *Sed ne quis ita hoc à nobis dici opinetur: quasi ad vitam transferendam solæ venæ, aut in Republ. familiæ sufficiant: cum mentis oculos conuertere ad magnam illam arteriam iubeo. Hæc spirituosum sanguinem, in sinistro cordis ventriculo elaboratum, haurit, transuehit: sine quo calor vitalis pabulum acceptaret nullum. Duplâ igitur suâ tunicâ venas excellit septuplâ craßitie: vt robur in motu perpetuò adsit: sanguis autem tenuis & vaporosus, ne euanescat, cohiberi meliùs queat.* Hæc mihi per comparationem ad Rempub. relata, societatem repræsentare videtur; qua iure collegii, vnius conditionis homines, gratiâ honestorum exercitiorum, ad conuictum humanum coniunguntur. Hæc quidem collegia, non numero, sed varietate artium atque operarum familias excedere oportet: quibus ad imperia popularia tuendâ nihil potentius; nihil etiam firmius ad potestatem regiam stabiliendam. Quod cum ex alta quasi specula

Sic familiarum est quædam iurium communio.

Vt in familia est quidam princeps.

Sic venarũ primaria est vena caua.

Vt arteriæ sunt crassiores venis septuplo.

Sic collegia sint familiis diuersa magis & varia.

prospiceret Numa Pompilius: non modò collegia instituit opificum varii generis; donauit priuilegiis. Quid multa? sacrificiis quoque solennibus ac epulis, quæ statis anni diebus fierent, consociauit. Consilium sanè, ad prudentiæ quasi solem probè excoctum! sicut enim arteria comitem subinde habet venam, cum qua mutuas cōfert operas: abs cuius amplexu discedit quàm rarissimè: ita collegarum animi deuinciuntur firmiùs; cum ipsis vnà esse, plenoq; consessu ac consensu non consultare tantùm; sed conuiuari etiam licet. Quod tamen prouidè, & vt loquuntur, cum grano salis, admittendum est. Quî hoc intelligi potest? *Sapientissima Natura, vt tribus reliquis in corde vasis, ita etiam magnæ arteriæ, tres valuulas ad orificium eius applicauit. Hæ lunæ falcatæ imaginem præ se ferunt; atq; id cauent obiectu suo: ne sanguis, è corde effusus, in idipsum regurgitet: vnde eluuione quasi impetuosissimâ cor obrueretur: neq; hoc tātùm; moueri desisteret ac viuere.* Hic ego continere me non possum; quin plenâ voce comprobem Magistratus prudentiam: qui collegiis præest autoritate suâ; delegatis ad hanc rem vno atq; altero ex probæ notæ hominibus. Vnde illud consequitur; vt in tanta hominum prauitate, nihil opifices machinari, nihil deliberare, nihil denique cogitare ausint; quod recidere in caput Principis; quod eiusdem vitę fortunisq; aut etiam saluti publicæ insidiari vllo modo possit. Rectè senatus populusq; Atticus tristi literâ damnauit Alcibiadem: quod is collegia, religionis ergò, priuatâ & domo & autoritate coëgisset: quæ res ex superio-

Vt arteria habet comitem venam:

Sic opifices mutuis officiis coniunguntur.

Vt valuulæ non sinunt regurgitare sanguinem:

Sic Magistratus Inspector non sinat Opifices pro libitu instituere conuentus.

Bauhin. lib. 1. theatr. anatom.

Gal. lib. 6. de vs. par. c. 14.

Plutarch. in vita Alcib.

l. 3 § 1. ff. de colleg.

ris

ris dependet adſenſu: proxima ſeditioni, cum de religione conuentus, inſcio ſuperiore, celebrantur. Progrediendũ tandẽ ad ea, quæ ex ſanguine, vt generãtur, ita nutriuntur. *Eorũ quidem frequentiſſima pars, & vberrimâ copiâ hinc inde luxurians, caro eſt*: perinde atq; ciuium in Repub. numerus eſt plurimus: ſed qui præterea cum carne comparari aptiſſimè poſſunt. *Nonne enim cadenti aut cubanti corpori ſubſterniculũ fit molle? dum vulneratur, nõ cedit telis durioribus? æſtuante ſole nonne vmbraculũ præbet? nonne vrgente frigore calefacit?* Hic mihi videre videor frugi cordatumq; ciuem; ſua omnia referẽtẽ ad patriæ cõmoda. Is eſt, qui fide qui magnitudine animi, qui manu propulſare iniuriã velit à muris, à ciuitate, à larib. Is eſt, qui in terræ voraginẽ, cũ Curtio ſe demittere nõ dubitet: iudicetq;

Galen. l. 12. de vſu part. c. 13. And. Laur. lib. 5. c. 1.

Vt caro externas iniurias à corpore auertit.

Sic ciuis pericula patriæ ſuo corpore depellet.

Liu. lib. 17.

Dulce & decorum pro patria mori.

Horat. Od. 2. lib. 2.

Is eſt, qui Principi atq; Magiſtratui ſumptus erogat, ad magnificentiã in victu atq; miniſterio: vt ſit opulentia ſine reprehenſione, & parſimonia ſine ſordibus. Nam & caro ſucculento ſuo infarctu efficit: vt neruorũ ac ligamentorũ temperetur ſiccitas: in corpore vniuerſo motus continuetur. *Extendit ſe tandẽ coram oculis noſtris, cõmune illud integumentũ corporis, cutis: quam vbi cum Magiſtratu confero, à nullo me Cenſore notandũ eſſe arbitror. Viſus equidẽ Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ Rex; qui ſine cute in lucem editus, arte eam & vnguẽtis poſtea nactus fuit: & Bremopirgi Marchiæ vrbe infans naſcitur; ita in corpore circumfluâ & laxâ carnis mole, abſq; cute: vt indutus ſago militari crederetur. Quibus vero cutim natura ſuperinduit; ea ex ipſis noſtris principiis, & è promptuario optimi ſucci, ſemine & ſanguine temperiem moderatam obtinuit.*

Ciuis Magiſtratui ſuppeditat ſumptus: Perinde vt caro rigat ſiccitatem ligamentorum.

Bauhin. theatr. anatom. l. 1. c. 7. Ariſto. lib. 3. hiſt. an. c. 11. Galen. l. 2. de vſ. part. 6. Sambuc. in append. Bonfin. hiſt. Vngar.

Hippocr. lib. de art. Bauhin. l. 1. theat. anat. c. 3.

Vt cutis ex propriis noſtris principiis naſcitur.

Sic Magistratus ex indigenis legatur.

Vnde verò Magiſtratum legere conuenit? Ex indigenis maximè; è medio fratrum noſtrorum; ciuibuſquè originariis potiùs, quàm extraneis: quod & cœleſtis Monarcha præcipit, & conuincit ratio, & communi ferè populorum ſenſu obtinetur. *Niſi fortè eiuſmodi tempeſtas ingruat; vt è re videatur publicâ*, quemadmodum excoriatæ parti cutis medicamento eſt inducenda, *ſic alienigenas ciuibus præficere: ne ſi ciues ciuibus præſint; vel nimiâ ſocordiâ in eorum facinora conniueant; vel nouercali quodam odio, præter modum in eoſdem ſæuiant.* Non negligimus veſte corpus tegere, quam externa contulit manus & opera: quamuis cutaneo hoc tegmine deſtituti nondum ſimus. *Numa Pompilius, non patritius, ſed ne ciuis quidem Romanus, ex agro Sabino; autore Senatu, Romæ regnauit. Tarquinius Priſcus, Græci Demarathi filius, Rex eſt Romæ factus. Quid præcipuæ poſtea ipſaq; conſulares familiæ? E peregrinis ortæ fuerunt: & ſolida tum quies, atque aduerſus externa Romani floruerunt.* Sed de partium ſimilarium textura non eſt prolixior expromenda oratio. Verum enimuero non ſufficit; ſpecioſum & amplum palatium extimo dumtaxat pariete inſpexiſſe: interiùs quoque luſtrentur ambulacra, periſtylia, areæ: notentur porticus, horti, tablina: conchæ, fornices, triclinia obſeruentur: & quidquid in iis rarum viſu, memoratu dignũ occurrat. Nos quoque minimè ſatiati contemplatione partium ſimilarium; intimiùs nos penetrabimus; ſed adhibito vno atque altero interſpirio. *Inde partes perpendemus eas, quæ ex ſimilarium compage, ad varia inſtrumenta fictæ, ſunt atque exor-*

Quandoq; vtilis eſt externus Magiſtratus.

Perinde atq; corpori veſtis induitur extrinſecus.

Vt partium

Deut. 17. v. 15.

Patrit. lib. 3. de rep. tit. 2.

Gaguin. lib. 9.

Plutarch. in vit. Flor. l. 1.

Liu. lib. 1.

Tacit. lib. 11.

natæ. Hæ quanquam variis locis discluduntur, & iuribus gaudent non vnis: ita tamen ad summam reuocari possunt: vt in ventres secetur & artus, omnis illa dissimilarium partium progenies atque dominatus. Ad viscerum ergo in ventribus & artuum potentias, quid obstat; quò minus referam ius maiestatis? ad viscera illud, quod ex priori legis tabula; ad extremitates, quod ex tabula posteriore obtinet: vtrinque disponitur de iis, quæ ciuium animas & corpora saluare possint. Ac scitum est; cum facultate abdominis, thoracis, capitis conuenire in administratione iuris Ecclesiastici tria officia; pactum inter Deum & homines, Ecclesiæ defensionem, conseruationem scholarum. *Ac in suprema regione caput est cogitationum sedes, domicilium rationis, motus, sensus: quod dum fungitur suo munere, homines verè sumus:*

In quibus illa Dei vestigia viua videntur.

Sanciatur & pactum illud religiosum inter Deum, populum ac magistratum: sat scio; cornu copiæ quoddam omnis sapientiæ felicitatisque in Rempubl. effundetur. *Per cerebri thalamos, perq; neruos nihil non expedit rationalis anima: vt intellectus constet, atque ex hoc virtus varia profluat, commodis suis efflorescat.* Principis item est, per ministros pios doctosque, sincerum Dei cultum propagare, purè, liberè, sine metu: indicere atque conuocare synodos; vt exerceatur disciplina Ecclesiastica; errores in doctrinâ moribusque corrigantur. Tales à prisco seculo commendat nobis sacrarum literarum fides, Iosuam, Iehoiadam; qui in pangendo fœdere hoc sacro, popu-

Hipp. lib. 1. de diæta. Gale. de inæqua. c. 1.

Galen. lib. 7. de vsu part. c. 11.

Gale. lib. 8. de vs. par. 2. Aristo. lib. 1. hist. an. c. 15.

Ioan. Liga. lib. 4. harm. corp. hum.

Gale. l. 8. de vs. part. c. 4.

Eusch. in vita Constantini lib. 4. Constit Imper. an. 1555. de pace relig.

Iosu. 24. 1. Chron. 23. v. 3.

omnis series duplex est distributio, in ventres & artus: Sic duplex est ius maiestatis, Ecclesiasticum & ciuile.

Vt salui sumus, capite saluo:

Sic beati sumus firmo pacto cum Deo.

Vt nerui sunt ductus animalis facultatis: Sic Princeps per Ministros Ecclesia propagat cultum Dei.

lum omnem, cum sono magno, & clangore tubisque ac buccinis excitârunt. *Caeterum & thorax nobis considerandus:*

—— in quo sunt molles cum corde calenti
Pulmones, tremulaq; & flatilis organa vocis,
Viscus & in primis ergastula plena caloris. Liga.lib. 3. harm.corp. hum.

Vt in thorace ira accenditur, cos fortitudinis: *In hoc nisi cor, ex iusta indignatione & vlciscendi cupiditate, feruorem aliquem conciperet: ita accenderetur nulla: nulla neque defendendi, neque vlciscendi cupido orireturr.* Quod si in Republ. perinde fieret; nulla religionis cura, nulla sacrorum integritas vigere diu propagarique posset. Intrepido ergò animo, sed & indignanti Magistratus defendet Ecclesiam; contra eos maximè, qui extremæ sunt pertinaciæ, & horribiles disseminare errores non verentur. Profligare autem e regno cultores Dei; cætera bonos & tenaces fraternæ pacis: vt plenissimum est impietatis; ita comitem fortunam nouercantem semper habuit. Quas non clades experta fuit Iudæorum Respublica; exulantibus, adflictisque Samuele & Dauide; quam miserè vexarunt Romam Senones Galli; cùm ingrati ciues Camillum, de patria præclarè meritum, exulare coëgissent? *Crescit mihi subinde oratio, quò altiùs prouehor: vt non tàm copia, quàm modus quaerendus esse videatur. Malè audit, sed nullo suo merito, abdomen infimumq; venter: quasi in medio quietus, ocio diffluat: nec quidquam conferat, vel ad dignitatem corporis, vel ad eius vtilitatem. Ridendi, an execrandi Ægyptii? qui ventrem defunctorum exemtum & excisum, quasi caput scelerum omnium ab homine admis-*

Sic Magistratus indignatio prohibet hæreses.

Vt venter, quanquam contemnitur, corpori tamen alimoniam parat:

Arist. 3. Ethic. cap. 4.

Esa. 49. v. 23. Exod. 23. v. 32. Deut. 7. v. 2.

Liu. lib. 1.

sorum.

ſorum eiiciunt. Certum tamen eſt, ac tenetur: totum corpus ad extremam venire tabem ; niſi abdomen alimenta miniſtret; totique & nutritioni & procreationi famuletur. An ſcholis parcere ſolent ii, quorum omnes delitiæ in acerbis dicteriis ſitæ ſunt? Ocii arguuntur, & deſidiæ, & vilitatis, & ſordium, quicunque vel docendo vel diſcendo ſcholis operantur: neq; animaduertunt illi nugarum architecti: non eſſe contemnenda quaſi parua; ſine quibus magna conſtare non poſſunt. Quæ eſt enim alia officina pietatis, doctrinæ, virtutis? ex quo alio fonte purus putus Dei cultus omniſq; honeſtatis emanet? niſi Magiſtratus honeſtè habeat Doctores: qui eruditionem pueris inſtillent prudenter, pietatem religiosè: qui ſeueritatem moderatione ad diſciplinam temperent. Illud certè ibit in omne æuum; quod Carolus, nomine reque Magnus, non modò Cœnobia & Scholas dotabat magnificè, artibus fouendis liberalibus: ſed ipſe quoque diſcentium ac docentium operas inſpectabat. Quid? quòd profectum in literis ſi quem feciſſent adoleſcentes; eos honoribus oblatis ad altiora ſtimulabat; poſthabitis ignauis: nullo aut ſanguinis aut conditionis reſpectu habito. *Iam ſi ad extremitates corporis, quas artus dicunt, orationis vela conuerto: inſiteri non poſſumus; vt horrida eſt atque inamœna arbor: ex cuius trunco nulli fuerint explantati rami; ſic vita noſtra inſuauis planè foret & acerba: niſi ex corpore manus pedeſque natura protendiſſet. Neque enim parare nobis ſapientiæ inſtrumenta poſſemus, iis deſtituti:*

Sic ordo ſcholaſticus deſpicitur, cum ſit Reipub. fundamentum.

Hieron. in epiſt. ad Letum.

Eginard. in vita Caroli.

Vt nemo poteſt praſtare operas aut labores ſine manibus & pedibus.

Gal. lib. 1. de vſ. par. c. 4.

neque leges conscribere; neque Deo placentes exercere artes; neque parare quidquam ad defensionem; denique non declinare nocitura, neque profutura appetere. Et quisquam putet? vel Ecclesiam conseruari, vel vllo modo Rempub. posse: nisi summus Magistratus ciuile quoque Maiestatis ius obtineat, exerceat, non inficetè, vt opinor, brachium seculare dictum. Hoc primò quidem, ceu validâ manu, externam disciplinam, pacem, tranquillitatem conseruat: curâ præscribendarum legum, interpretandarum, abrogandarum; distributione pœnarum ac præmiorum; constitutione securitatis publicæ, sine latrocinio, direptione aut impedimento; indictione, administratione belli; & vicissim instauratione pacis; potestate in societatem regni populum externum suscipiendi. Deinde eodem ciuilis maiestatis iure, promouet socialis vitæ commoda, auertit damna, atque iniurias. Quo enim beneficii loco habendum? quòd ius administrat commerciorum, monetæ, linguæ, publicorum munerum, priuilegiorum, auxilii mutui, custodiæ bonorum regni, comitiorum, & eorum, qui Rempub. iuuare officiis queant. Absque his si foret regio, aut natio vlla; quid aliud existimaremus? quàm hominem in Piceno aliquando absque manibus & pedibus natum: aut immane monstrum; quale Michaëlis Parpinacei imperio visum fuit; quod pedes quidem habuit, sed caprinos: in media fronte oculum dumtaxat vnum, non sine trepidatione spectantib exhibuit. *Quid porrò commemorem? singulis ventribus suum esse principale viscus, variis nominibus*

Sic Ecclesi. & Respub. non constat sine iure maiestatis ciuilis.

Althus. polit. c. 7.

Althus. c. 8.

Lycosth. de prodig. & ostent. Peucer. 4. Chronic.

Vt de viscerû principatu contenditur:

And. Laur. l. 1. anatom. q. 2.

bus commendabile, hepar, cor, cerebrum. De horum principatu ac praeeminenti dignitate, perinde inter Galenum & Aristotelem controuertitur : atque apud Persas de optima Reipub. forma. Otanes pro imperio populari disserit; pro statu optimatum Megabyzus : vnius dominatum Darius expetit : secundum cuius sententiam lis data fuit. *Sit abdomen omni laude prædicandum ; quod in eo sit epar, gratiosi humoris fons & scaturigo. At dum plurimæ partes in societatem potestatis adhibentur; gula, ventriculus, intestina, lien, renes, vreteres, ductus bilarius, vesica : dum præsertim mesenterium, infinito venarum plexu epati allaborat: nonne fatebimur, atque etiam præ nobis feremus? ex hoc ipso foco aut seminario choleram, melancholiam, diarrhœam, dysenteriam, cachexiam, languorem, lentas erraticasque febres, latentium denique morborum causas, magis quàm ex vlla corporis parte prodiisse.* Quid huic rei dissimile habet imperium populare? in quo salus publica, huc illuc, quasi nauicula sine clauo, omni flatu & fluctu fortunæ pellitur. Neque enim prouidum quidquam polliceri potest variabile illud, & quod semper

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Neque ad dignitatem facit ruditas eiusdem, & crassa ignorantia; quâ plerunque laborat: neque diuturnitatis est custos assentatio ductorum; iisdemque data nimia potestas; quæ ad præcipitia semper democratias procliues reddiderunt. Testis est nobilissima Roma; & ab ea tertium facta plebis secessio; in montem sacrum, in Auentinum, in Ianiculum: vnde prius redire noluit: quàm lege Hortensiâ cautum esset; vt plebis

Herodot. lib. 3.

Sic disputatur, quæ forma Reipubl. melior.

Vt ex abdomine mira morborum seges luxuriat:

Fernel. lib. 6. pathol. c. 7.

Plutarch. de tripl. polit. Polyb. lib. 6.

Sic ex democratia oriuntur inordinati motus.

Virg. 2. Æn.

Aristo. 3. polit. c. 7 & 5. polit. c. 5.

Valer. Max. lib 8. c. 9. Flor. lib. 1. c. 24. Gell. lib. 15. c. 25. Plin. lib. 6. c. 10.

Vt in corde mira est adfectuum varietas:

scita vigorem obtinerent. *Cordi verò absit, vt suam ego nobilitatem, & ex ea quæsitam laudem detraham. Illud enim vitæ principium est; fons caloris & viuifici nectaris; illo cum arteriis venisq́ vigente, vigent omnia; languente, languescunt; intereunte, intereunt. Id verò cordis dignitati non parùm præiudicat: quod adfectus in eo concitantur tàm effrenes, quasi fluctus marini: vt naufragium inde valetudo patiatur: consilii verò nihil capi possit.* Eodem modo cum optimatum statu comparatum esse, & dico & sentio. Nam in eo viri optimi ex æquo iure pariq; potestate imperant: in legendo magistratu virtutis ac honestatis ratio habetur: vt credibile sit, ex optimis viris optima consilia proficisci. Vicissim tamen & hoc contendo, quod ipsa res loquitur: paucitate Magistratuum, qualis est in aristocratia, inuidiam conflari, æmulationes, tumultus. Nam cum plures virtute sunt pares, qui dignitate æquales non fiunt; ignominiâ hi quidē adfici videntur: vnde mens humana, dedecoris impatiens, nihil non molitur, ad contumeliam depellendam. Sapientes verò cordatiq; Poloni: qui cum, mortuo Lecho, duodecim Palatinis gubernacula credidissent: maturè pœnitudine ducti; ad vnum Cracū denuò potestatem regiam deuoluerunt. *Valeat ergò adfectuū hæc concertatio; & ad cerebrum dictionē mentemq́, conferamus. Id quidem sapienter cælum ab Homero, vt omnia, dicitur: quod quemadmodum hoc intelligentiarum; sic illud rationis est domicilium. Hoc illud est viscus, quod hominem, Ægyptiorum scito, adorandum animal efficit: in quo vno plures, quàm reliquo corpore, diuinitatis radii lucent* Huic vni parti,

Aristot. li. 3. part. anima. c. 6. & lib. 7. admin. anatom. c. 8.

Fernel. pathol. l. 1. c. 18.

Sic in aristocratia æmulationes, odia, tumultus.

Herodot. l. 3. Aristot 3. polit. c. 7.

Gomer. li. 2. histo. Polon.

Vt cerebrū est facultatis quodammodò cœlestis:

Hipp. lib. de gland.

quæ & vnica est, & princeps in corpore, monarchia assimilatur: Rerũpublicarũ præstantissima. Ecquis enim ita frontẽ cõmasculet; vt negare ausi? vel eo nomine, regiũ dominatũ esse longè augustissimũ: quoniã accedit quã proximè ad imperium vniuersi; quod vnus Deus sustinet: cuius personã rex gerere in Rep. dicitur. Quanquã verò populi nõ vni exstiterũt: quib. plures, pari imperio cum socijs instructi præfuerunt: in reb. tamen difficilimis, ad monarchiã conuersi, se suaq; vnius imperio cõmiserunt. Nonne Lacedæmonii, præter ephoros suos, regẽ quoq; agnouerũt? nonne Athenienses, præter censores, vnũ sophũ? Carthaginenses vnum iudicẽ, non semper Cosmos suos? neq; Romani subinde paruerunt consulib. neq; Venetorũ status sine Duce florere potest. Vident scil. omnes, quod res est: quæcunq; in mundo pulchra habentur, singularia tantũ inueniri. *Neq; est, q̃ quisquã detrahat maiestati Principis, aut reuerentiæ: quasi & ipse homo, nullã nos superet dignitate: & æquè ac subditus imbecillitatis sit exemplũ, temporis spoliũ, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, calamitatis trutina. reliquũ verò pituita & bilis.* Perinde is peccaret in Principẽ, qui sic statueret: ac si cerebrũ petulanti dicterio traduceret: quasi membrum sit inhonorum, frigidum, molle, mucosum, ac ceu lutum coagulatum. Est tamen intrinsecus diffusa illa vis & diuina potentia; quã ipsius formę impetu, totiusq; substantiæ efficacitate, tam pręclaræ hinc inde operæ dispensantur. Hãc sensib. insinuare nostris, aut adsequi verbis nõ possumus, quantumuis conemur: vt verè, sicut vulpes eluta à ciconia, vitreum vas lambẽtes,

Marginalia (left): Casus lib. 3. sphær. ciuit. cap. 7. Dio lib. 44. — Pontan. l. 4. de obed. c. 2. Patrit. lib. 1. de regno tit. 13. — Arist. apud Stob. serm. 96. — D. Bernhar. — Gale. l. 8. de vs. part. c. 13. — Scal. exercit. 307 secti. 21.

Marginalia (right): Sic Monarcha habet aliquid diuini. — Princeps, etsi miser homo, venerabilis est tamen maiestate. — Perinde vt cerebrũ, etsi mucosum videtur, diuino tamen perfusum est spiritu.

pultem ipſam haud attingere valeamus. Princeps item, etſi cum infimo comparandus, imbecillitate humanâ: ineſt tamen ei reuerenda quædam & ſingularis amplitudo; veluti ſignaculum & character diuinæ poteſtatis. Hic efficit; vt iam non humano prognatus ſeminio; ſed ſimillimâ Deo in fronte authoritatem gerere videatur. Teſtor C. Marium, quem in profundum miſeriarum abiectum, ex fati ipſiſſimis faucibus authoritas eripuit, maieſtas conſeruauit: cum ſicarius, ſtrictum gladium tenens, aggredi eum non ſuſtinuit: ſed claritate viri occæcatus, abiecto ferro, attonitus inde ac tremens aufugit. Hæc authoritas vt retineatur; age, porrò documentum à cerebro capiamus. *Id non modo inuiſibili atq; internâ gaudet facultate: ſed conſpicuam ſatis medullam elegantiſſimâ ſtructurâ & quaſi regiâ obtinuit: vt maior eius admiratio exſiſtat.* Principis amplitudo atq; diuina illa exiſtimatio, virtute quidem & interiori adfectu retinetur: ſed creſcit quoque & propagatur externo apparatu. *Hîc te velim intueri cerebri columnas & camerata inuolucra; admirari atria, thalamos, ſinus, ſpeculum lucidum, plexus arteriolarũ; obſeruare eiuſdem helices, & neruorum circumſtans ſatellitium.* Tam magnifica domus principẽ quoq; decet: vt externus iſte decor, qui apud populum poteſt plurimũ, eundem magis venerabilẽ efficiat. Sit ergò regia ſpatioſa, ſit ſpecioſa; ſit commodè ſalubriterq; ſita; ſit ordine & omnibus rebus benè diſpoſita; minimè verò ex ciuium miſerorum ſanguine coagmentata. Accedet his maior dignitas; ſi domus ipſa gubernetur adſtri-

Valer. Max. lib. 2. c. 10.

Vt cerebri ſtructura eſt admirabilis:

Columb. lib. 8. anat. c. 1.

Sic principis domus eſto magnifica.

ctâ

ctâ legibus disciplinâ: & administri mores suos, gestus, verba, ceremonias in regis venerationem augustiorem referant. Id quidem apud Persas exegerunt à suis Reges: vt non modò cubicularii & stipatores, ex Cyri instituto, purpurati torquatique regiæ foribus adstarent: sed subditi quoq; prostratis corporibus, humi salutarent regem: sellæ insuper regiæ, supplici reuerentiæ cultu honorem deferrent; eiq; insidere capitale esset. Ac illud quidem à vero minimè dissentire, certum est: domum principis & naturâ munitam esse, & arte debere fossis, muris, propugnaculis, turribus. Fieri enim nequit; eos, qui iure an iniuriâ imperent, multorum odiis non conflagrare: vt securitati propterea consulendum sit & imperantium & populi. Quo nomine admirabilis fuit, sed fastuosa nimis arx Persepoli: quę triplici mœniorum ordine cincta, cum portis æneis, & ante singulas vallo æneo viginti cubitorum, vel solo adspectu terribilis adsurgebat. *Nonne hanc munimentorum necessitatem natura nobis euidenter inculcat? Quò enim dura tenuisque meninx cerebrum tegit ac tuetur? quid ferratum cranium; quod hosti ademptum celatumque auro, Boii & Celtæ compotationibus destinabant; quo viuentis cerebrum vallum tam solidum durumque obire necesse fuit? Quid erat; vt pericranium, cuticula crassissima, cutis mobilis vndique illud sepirent? Cur in rariora cutis spiracula insiguntur pili? quos profuso capillitio à fronte discriminatos gerere, singulari iure apud Gallos Regibus tantùm gerere licuit? Quò ista membrorum omnium series ac compages pertinet? nisi vt rationis arx & regia ab iniuriis vndique*

Xenoph. lib. 1. & 2. Cyropæd. Plutarch. in apophtheg.

Diodor. Sic. lib. 17. Curt. lib. 8.

Principis domus probè sit munita.

Petr. Greg. lib. 2. de Repub. c. 5.

Diod. Sicul. lib. 17.

Perinde atq; cerebrum vario sepimento obuallatur.

Galen. lib. 9. de vs. part. c. 3. 4. 5. Arist. lib. 2. de part. animal. c. 7. Alexand. ab Alex. lib. 6. genial. dier. c. 26. Aimon. lib. 1. c. 4. Hottoman. Francogall. c. 9.

defendatur: & violentiam elidere possent tot propugnacula: quibus ac ne similibus quidem, natura neq; cor, neq; ulla alia membra, communiuit. Sed nec illud silentio est inuoluendum: quod eadem cerebri domus, quo magis ad exteriora vergit, & exponitur ambienti aëri; eò robustiori munitione obducitur. *Hoc vestrum est solemne Principes: vt ad limites regni, ad portus etiam præcipuos, vnde hostium incursus patet magis, firmiora propugnacula & arces collocentur. Etsi enim viris cinctum esse territorium decet: reipsâ tamen confutatæ sunt plurimæ regiones; quæ cum nuditatem sibi aut gloriæ duxerant, aut saluti; tandem confugerunt ad præsidia castrorum; vel prædæ cesserunt hostibus ac ludibrium. Suffragatur mihi regnum Angliæ florentissimum: quo, deiectis munimentis, cum Principes Hyorchorum & Lancastrensium armis ciuilibus cōcurrerent: non amplius semestri spatio, ter amissum illud recuperatumq; fuit. Quod si ergo corpora tegenda clypeis putamus & scutis: quidni liceat integras hominum societates? aut cur obiectu humanorum corporum salus periclitanda est; cum per lateres ac calcem suscipi defensio queat?* Sed dum cerebro immoramur; periniquū foret, sicco, quod dicitur, pede, cerebellum præterire. Hoc natura in cerebri subsidium fabricasse creditur; eiusdem penè substantię cum illo; facultatis verò non multùm absimilis loci paulùm decliuioris: *Hoc mihi in Repub. præstare videtur Ephororum chorus; quos proceres vocare licet status, ordines, tutores vt vocabulorum ferax quælibet ætas fuit. Hi sunt, qui personam populi sustinentes, non modo summum Magistratum constituunt, inaugurant: consilio iuuant atq; auxilio; sed vicem eius sæpè sustinent; inter-*

Vt cerebrum versus exteriora munitur magis:

Sic ad limites regnorū sint arces firmiores.

Vt cerebellū est eiusdem naturæ cum cerebro:

Sic à Principe pau lò sunt inferiores Regni Ordines.

Bauhin. theat. Anatom. l.3. c.11.

Arist lib.7. polit. c.11.

Bodin. l.5. de repub. cap.5.

Antimachiau. lib.3. theor. 33.

Columb. l.8. anat. c.1.

Hottoman. lib.1. de antiq. iur. reg. Gall.

cedunt

cedunt iniustis decretis, eaque suâ autoritate mitigant. Fuit seculum illud apud Lacedæmonios: quo Rex & Ephori singulis mensibus iurare mutuò consueuerunt: pro Rēpub. Ephori, Rex pro seipso. Ac dum pensiculatè ageret natura singula: nobilissimo & principi omnium visceri, ne assiduo labore frangeretur, prꝫter cerebellum, etiam aliam adiunxit partem: cuius auxiliari operâ,

Xenoph.

Vt spinalis medulla est vicaria cerebri.

Lucret.

—— animus cùm sese ita commouet, vt velit ire,
Inq; gredi, fert extemplò quæ in corpore toto
Per membra atq; artus animali dissita vis est.
Et facile est tactu; quoniam coniuncta tenetur.

Hæc spinalis medulla est; cerebri appendix & vicaria: quam sapiens in Ecclesiaste eleganti voce funem argēteū dixit: illius autem conceptaculū * ἱερὰν σύριγγα Græci nominant: quia partem sacram vehit, principē custodit. Hæc Principē monet; vt & ipse necessitatem summam arbitretur, consiliariorum fouere collegium; & æstimare

* ἱερὸν ἀληθῶς χρῆμα συμβουλίαν.

Galen. lib. 8. de vs. part. c. 10.

** sacram fistulam.*

Sit Consiliarii sustinent vices Principum.

** sacrū quid verè consilium.*
Menand.

Etsi enim Princeps & possit & debeat instructus esse rerū gerendarū peritiâ: multa tamen occurrunt tàm ambigua dicam, an perplexa; vt vnius hominis, etiam lynce oculatioris, ingeniū tamen atq; iudiciū effugiant. Quemadmodū ergò tutū non videbatur naturꝫ: neruos omnes ex cerebro in subiectas partes tam dissito interuallo diduci: ita ne arbitretur Princeps; suo ductu conficienda omnia; sed præcipuā esse prudentiꝫ partem, alios prudētiores iudicare. Adeò illius aurib. insonet, menti intonet; quod sapientissimus suo seculo, & iuxtà disertissimus Agamemnoni suo inculcat:

Vt non erat vtile, omnes neruos ex cerebro produsse: Sic Princeps suo sensu non faciat omnia.

Plin. & ex eo Gueuar. in horol. princ. lib. 2. c. 14.

* ἄναξ, αὐτός τ' εὖ μήδεω, πείθεό τ' ἄλλῳ.

Nisi fecerit; idem & ipse experietur, & Respubl. vniuersa; quod accidere corpori solet. *Illi enim præcipitem mortem inferri credebant veteres; cum vna aut altera spinæ vertebra luxaretur: adeò medulla hæc diutinam oppressionem sustinere nequit. Taceo, quod*

Sunt, qui, cùm clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credunt humanas angue medullas.

An sibi aut regno quidquam votiuum polliceatur princeps: cuius aures ad bona consilia obdurruerint? Heliogabalus, Bassianus, Nero, Caligula, monstra potiùs, quàm Cæsares, se & Remp. in perniciem coniecerunt immedicabilem: dum consiliorum reiectis frenis, impiam malè agendi libertatem iucundiorem esse crediderunt. Sapientior verò, sed & felicior M. Antoninus! qui si quando solus in sententia aduersus Consiliarios esset, non dubitauit apertè profiteri: Æquius est, vt ego tot & talium amicorum consilia sequar; quàm vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur. *Consideremus altiùs spinam dorsi, & in ea quasi prolongatum cerebrum. Neque enim vni duntaxat ossi includitur tota illa massa: sed pluribus coagmentata est & orbiculatis: quas à verticillis fœminarum spondylos vertebrasque dicimus. Harum in ceruice septem, duodecim in dorso, in lumbis quinque, sex ossis sacri numerantur: è quibus triginta neruorum paria, mirâ propaginũ fœcunditate prodeunt.* Perinde in Republ. pretium est operæ; vt curias habere distinctas, in quibus alia atque alia deliberentur: sic plurium consiliariorum delectum constituere Principem, sententias cognoscere,

** Ipse, ô rex, benè consulito, & pareto vicissim.* Homer. ἰλιάδ. β.

Vt luxatâ vnâ vertebrâ, mors imminet, putrefactâ spinâ serpens oritur:

Sic spretis consiliis vicina est pernicies aut ignominia.

Ouid. 15. Metamor.

Pet. Gregor. lib. 23. c. 4.

Iul. Capitol. in M. Anto.

Columb.

Vt spina ex plurium vertebrarũ serie & munere constat diuerso:

Sic Princeps plures Consiliarios, non vnum audiat.

ponderare: nec præteritis aliis, vnius nutui & iudicio obnoxium esse. Præterquam enim quod nihil monstrosius excogitari possit; quàm Principem, qui omnib. imperat, pati, sibi ab vno imperari: sæpè etiam vsu venit: vt consiliarius iste vnicus, summæ potestatis delicatus arbiter, & principem pessundet, & seipsum. Quod planum facere, non est difficile; exemplo Artabani & Xerxis; Seiani & TiberI; Vini & Galbæ; Plautiani & Seueri; Clearchi & Commodi; EutropI & TheodosI; MarignI & Philippi Pulchri: & qui alii sexcenti dominis siue imprudentiâ, quâ laborant sæpè prudentissimi; siue malitiâ & fortunæ elatione, noxia consilia pro sanis attulerunt. *Atque huc illud etiam referendum est; cum medullæ huius in suo domicilio tanta sit dignitas: non minus de illius conseruatione sollicitam fuisse naturam, quàm de cerebro ipso. Quemadmodum ergo cerebrum vallauit cranio satis firmo validoq; ita spinalis medulla, quasi sepimento cingitur vndique & roboratur vertebris: quæ non modò excauatæ sunt intrinsecus; sed ad sustinendos externos impetus, extuberant multis processibus, quasi monticulis, acutis atque transuersis.* Quid hîc naturæ opifex designet, in obscuro esse nequit. Principis est, consiliariorum quasi fratrum & consortum subinde promouere & commoda & ornamenta: iis dignitatem suam acceptam ferre: *non minùs atque spinæ corporis firmitatem debemus. Absq; enim illa si foret; ceu fundamento & origine omnium ossium: vermiculorum serpentiumque instar, repere hominem, tot rerum principem oporteret.* Benè cessit Imperatoribus; qui consiliarios portionem sui

Gueuar. lib. 3. horolog. c. 58.

Vt Natura spè vallauit spinalem medullam:

And. Laur. lib. 2. anato. cap 23.

Althus. cap. 31. polit.

Sic Princeps Consiliariorum prospiciat commodis.

Fernel. lib. 3. physiol. c. 2. & 3. l. 4. ex Diui. C. locat. l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest.

corporis appellarunt: benè etiam in posterum erit iis; qui de honorandis illis & amplificandis laborabunt. *Quo verò animo in Principem esse decet consiliarium? Id quidem sapienter natura, sed & manifestè præfigurauit in ea capitis parte, quæ caluæ subest; destituta pilis, facies appellata. Hæc non modo animi, sed sensuum quoq; imago est: vnde, quid emergat vtilitatis, sensus ipse docet, de quo disserimus. Nam quæ illi destinata sunt organa: oculus, nasus, auris, lingua, præter cutim in habitu corporis diffusam: ea omnia abstractas rerum species ad cerebrum deferunt. Ac deferunt sanè tantâ fide, atq; industriâ, ne quid de celeritate dicam; vt à Philosopho eleganter dictum sit: nihil esse in intellectu; quod sensuum operâ prius non egerit. Æstimatrix enim anima, vt accepit sensilium imagines, tanquam è suggestu ante se positas contemplatur; & aliter atq; aliter diiudicatas, ad intellectum, à quo notiones componantur, transmittit; inde memoriæ reseruandas tradit.* Lac lacti, ouum ouo non est similius; atq; his sensoriis consiliarii: qui sunt aures, qui oculi Principum. Nam & isti ante cōsultationem prudenter expendunt rem, vti iacet: in deliberatione, quid statuendum putent, edisserunt candidè, non perplexè; liberè, non meticulosè; rotundè, non per verborum inuolucra: habitâ verò deliberatione, ore exsistunt presso; quod tutissimum rerum administrandarum vinculum esse consueuit. Quæ omnia eò referuntur: vt Princeps, quę fugere deceat, quæ sequi, agnoscere atque definire possit. *Quò verò, sine allucinatione, & perfectè sensus fieri queat; sanum sit organum, & integrum, & quietum necesse est.* Nec consiliarius in rem Principis aut

Vt in facie sunt instrumenta, per quæ facultas sentiens agit:

Galen. l. 11. de vs. part. 14. Hippoc. de morb. sacr.

Fernel. lib. 5. physi. c. 8.

Sic Consiliarii sint oculi & aures Principum.

Valer. Max. lib. 2. c. 2.

Vt sensoriũ oportet esse sanum:

Magir. l. 6. phys. c. 6.

publicam quidquam proferret: cuius animus subinde æstuat irâ; vel odii, vel cupiditatum euripis fluctuat. *Sed & illud non minus tempestiuum est, quàm necessarium, ad sentiendi actum: iustam dari distantiam inter sensile atq; organum: moram quoq; conuenientem & moderatam interponi. Quemadmodum enim qui ocyssimè manum per ignem traucit; excellentem eius calliditatem haud sentit: sic, quæ sensu quasi momento præteruolant, ad animum referri, aut diiudicari, vt par erat, nequeunt.* Quod si cōsiliarius præcipitio quodā mentis decernendū censeat, & operâ tumultuariâ: næ is errorem errat crassissimum! Maturanda sunt consilia, non festinanda: quòd, quæ matura sunt, nec excedunt, nec deficiunt; neq; præcocia sunt, neq; decrepita. M. Fabl cunctatio vicit Hannibalem, & Romam conseruauit: quam Minutl feruor ac temeritas, Hannibali gratissima, in discrimen adduxerat. *Sed veniamus ad vlteriorem contemplationem faciei; quam soli homini propriam esse natura voluit: quia solus ille prospicit anteuersus, vocemque anteuersus mittit. In ea se spectandam frons offert primitùs; quæ tametsi non rarò mutatur, & quasi velis quibusdam simulationum obtegitur; animi tamen verè ianua est: index tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, sceueritatis; cumprimis modestiæ & pudoris: Qui ergo nihil indecens atque inuerecundum fronte suâ legi velit; et consultissimum iudico: luxuriantem appetitum ratione frenare: ne quid ab interiori animo ad hanc externam partem erumpere, maleque mentis hederam in fronte suspendere possit. Non enim frustra Genio sacratam antiqui voluerunt.*

Goclen. aduersar. quæst. 18.

Seidel. lib. de anim.

Pet. Gregor. lib. 24. de rep. c. 3.

Gal. l. 11. de vs. par. c. 14

Cic. ad Q. Fr.

Thadde. in metosc op.

Alexand. ab Alex. lib. 2. genial. dier. cap. 19.

Sic Consiliarium decet esse animo tranquillo. Vt iusta distantia inter sensoriū & sensile, iustaq; mora requiritur.

Sic Consiliarius non præcipitet sententias.

Vt frons est animi ianua.

Sic Principis vita est theatrum populi.

Eam si Princeps perfricare velit;non modò sauciam intus geret conscientiam: sed infames eius actiones quasi theatro quodã spectandæ proponentur,neq; proponentur tantùm; sed ad omnẽ posteritatẽ propudiosè memorabũtur.Irridenda est enim eorum Principũ socordia: qui præsenti potentiâ credunt exstingui posse etiã præsentis æui memoriam. Immanissimus Nero, quanq; ã annales Cordi igne cremaret, efficere tamen non potuit; quin tantisper occultati,postea ederentur;& portenta sua flagitiorum ad seram vsq; posteritatem transferrentur. Quod si Princeps virtuti conscientiam velit theatrum esse; facilè etiam efficiet innoxios suos ministros, magistratus, legatos, maximè omnium pro tribunali iudices: vt hi oculum sibi,non ad intuendum saltem,sed imitandum quoque proponant. *Frustra tot membranis, musculis, vasis, humoribus natura ambijsset oculos: frustra ossibus vndiquaque & palpebris, quasi propriis sepimentis obtexisset: frustra nasus quasi murus adiiceretur; frons & supercilia instar valli: frustra ipsi*

Tacit. lib. 4. Annal.

Cic. 2. Tusc.

Galen. 3. de vs. par. c. 10.

——summam tenuissent corporis arcem,
Ductores vigilesq; dati; quorum acer ab alto
Prospectus,quascunq; minas exire malorum,
Atq; impendentes posset deflectere casus:

Guil. Salust. lib. 6. hebd. prim.

Vt oculi alieno colore suffusi,deprauatè vidẽt:

nisi & tunicæ & humores eorundem natiuam suam tincturam atque splendorem retinerent. Si enim alieno colore & illa & isti imbuantur:non vt verè coloratum est sensile,ita eius idolum crystallino humori adfertur: sed alieno, sed absurdo; & perinde vitioso; atque is color fuerit;quem vel humor,vel tunica iam tum combiberit:

Curaus libr. 1. de sens. c. 11.

Hîc

Plat. lib. 6. de legib.

Hic ego appello quoscunque iudices: quorum apud priscos forum iuxta Deorum templa collocabatur: vt se meminissent à Deo constitutos iudices: & dum hominibus iura dicerent, à Deo se quoque iudicari. Illi verò si vel procliues nimium in alterutrius fuerint gratiam; vel habendi quadam libidine, pecunias ex officio conquirant, donorum aucupes: actum iam est: excæcantur hoc modo sapientissimorum oculi: vt, quod iustum est, videntes nec velint, nec videre possint. Crudelissimus, dum vixit, Cambyses Persarum Rex fuit: vna tamen in re seipsum iustitiâ superauit. Sisamnem, postquam is largitionibus corruptus, iniustè iudicasset, interemit: cutem eius in lora concisam, tribunali instrauit; quo & Sisamnes olim ius dixerat, & filium Othanem sedere postea; sed & patris supplicio atque infamiâ sapere iussit. *Neque verò palpebrarum nobis insuper est habenda ratio: quas anteriori parte oculis natura, ceu tegmenta adhibuit: ne illi externo lumine, aëre, ventis, fumo, puluere, animalculis, aliis corpusculis lædi queant. Addo huc & illud: quod acutiori ac celeriori acie quidpiam penetraturi, adducimus vnius oculi palpebras, ceu opercula: vt in altero, fortius vnito spiritu, & collectis quasi in densum agmen radiis, euidentiori imagine res visilis excipiatur.* Qui hoc prudentiæ simulachrum esse negat in Principe: eum ego nihil in vita communi prospicere arbitror. Qui enim pace, bello, domi, foris, iustitiâ, clementiâ sibi seruiet princeps ac saluti publicæ: nisi vnum oculum clauserit; vt alter acutior fiat & promptior? Dicam sine verborum integu-

Sic iniquè iudicant, pecuniâ aut gratiâ corrupti.

Deuter. 16. Esa. 5.

Herodot. l. 5.

Arist. lib. 2. de part. an. c. 13. Galen. de instrum. odor. c. 5.

Aristot. in problem.

Sicut palpebrâ vnâ clausâ, alterâ videmus acutius:

Sic voluptatibus à ratione submotis, prudentes iudicant principes.

mentis, quod res est: amouendæ Principi sunt omnes illecebræ, voluptates amouendæ: vt mens interior intellectu pariter ac delectu, præsentia ordinare, prouidere futura, præterita recordari queat. Ad Claudium ego eos, qui sententiam suam à nostra segregant, ablego: cuius vsque eò euiluit autoritas; vt caussidici eum è tribunali discedentem, non modò ioculari voce reuocarent; verùm etiam laciniâ, interdum pede apprehenso retinerent. Quid? quòd eques Romanus quidam, graphium & libellos, quos tenebat in manu, iecit publicè in faciem eius: vt genam non leuiter perstrinxerit. Vnde hæc capitis diminutio? nisi quòd miser Claudius ridiculæ erat fatuitatis atque stultitiæ: edicto etiam veniam largitus, efflatum ventris in conuiuio emittendi: vt litigator Græculus non abs re illum publicitus compellarit: * καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός.

Sueton. in vit.

Habeo etiam dicere de elegantissimo naso: qui non ideò tantùm in facie geminis protuberat naribus; vt illac mucosa capitis illuuies expurgetur, quasi cerebri latrinâ: sed diutnior insuper eius est vsus: quippe

Faucibus excurrens in naribus aura vicissim
Vitales animat per membra repentia sensus.

** & senex & stultus es.*
Aristot. l. 1. hist. an. c. 11.
Galen. de instrum. odorat. 3.
Dracont. in hexaëm.

Sentiunt illud quidem agnoscuntque Indi, & ex iis Chinenses, licet apparatu & signo minus congruo: qui per medias nares transmittunt annulos; aut minuta cornua, dentésue ex foraminibus illis suspendunt: quasi dignissimam partem honore admodum decenti adficiant. Neque tacendus Persarum Rex quidam: qui, cum ciuili tumultu fœdò esset conuitio lacessitus, adeò exarsit: vt totius populi nares rescinderet: sentiens, tantò esse

Hugo Lindschott. Ind. or. cap. 18.

atrocio-

Amat. Lusi. tan. curat. 17. cent. 6.

atrociorem pœnam; quantò honestiori membro magisq. necessario sumitur. Quod si muco obstruatur nasus; vt corruptelam ibi acquirat: quales Rhagusino cuidam crustaceæ turundæ effluebant: cum aëri intercipitur via, animalibus spiritibus generandis: contigit fœtore inquinari cerebri regiam: & totam non modo spirituum, sed corporis officinam in cladis societatem trahi.

Vt nasus obstructus impedit respirationem & actiones cerebri.

Castel. lib. 3. de offic. reg. c. 30.

Reipubl. interest similimo pacto, procurare, vt, quia pessimum est, habitare rationem cum orco, in ciuitate comparata sint ad sanitatem omnia. Quo videndum; ne carnes aut pisces corrupti vendantur: ne fructus immaturi copiosius ingerantur: ne cupediarii delitiis suis corpora ciuium eneruent: ne sordes, quisquiliæ, cadauera, charonéa aut cloacæ illuuiem suam cum aquis aut aëre communicare possint. *Nimirum ob munditiem hanc & spirituum puritatem*

Sic sordes in vrbibus inquinant aërem.

Ioan. Lig. harm. corp. hum. lib. 4. Galen. li. 11. de vsu part. c. 17. Idem l. c.

—— non omnis nasi fuit offea moles:

sed cartilaginea est pars media, pinnis vtrinque mobilibus: quæ ad arcendos fœdos odores celerius occludantur: &

Vt pinnæ narium occlusæ fœdos odores arcent:

— à summo stillantia cuncta cerebro
Viscida, qui manibus digitisq. emungere possis.
Indidit ergo opifex rerum sapientia Nasi
Finibus extremis χόνδρον, tractabile septum:
Vt queat vsque premi, gelidus dum defluit humor.

Plato lib. 3. de legib. Lang. lib. 2. epist. medic. 23. Lemn. 1. de occult. nat. mir. c. 19.

Agat idem princeps per ministros atque operarios; quibus Medici præsint, honorifico testimonio adprobati: non circumcelliones aut impostores; qui, vt prouerbio dicitur, in vasis iactura figulinam exercent. Quin etiam priscorum,

Sic Princeps per Administros inquinamenta vrbis amoueat.

& noſtrâ tempeſtate Venetorum exemplo, inter Ædiles connumerandus eſt Magiſtratus; cuius præcipuum munus ſit, prouidere: ne quid putridum, aut quod incolumitati ciuium officere poſſit, veneat, vllóue modo deliteſcat, vel à quoquam conſeruetur. Quid enim Iuſtinopoli accidit, mirabile iuxtà & miſerabile? Funes quibus in maxima peſtilentia mortuos ad dormitorium deferebant, poſt ciſtam proiecti, latuerunt ferè per triginta annos. Inuenit eos ſeruus, cùm ſacris quidam initiandus eſſet; eoſque campanis aptos adhibere volẽs: prior ipſe peſtilitate corripitur; tùm ex contagio alii: vt ex cauſſa leuicula, per imprudentiam, ad decem millia hominum interierint. *Ipſe me ſenſuum ordo ad aurem ducit; labyrinthis, cochleâ, feneſtellis, tympano, aqua ductibus, ſtapede, malleo & incude tam fabrè concinnatam: vt venerationem mouere omnibus debeat. Barbarus ergò verè Scytharum rex; qui nonnullis in amicitiæ pignus auriculam abſcidit: inhumani quoque Tartari, & cum furore crudeles; qui Sileſiis, cruentâ victoriâ ſuperatis, aures detruncarunt: traduntque, nouem modios his impletos fuiſſe. Quamquam verò Malabaris in India tam ſint demiſſæ aures; vt ſuper humeros fluitent: Taneſiis vel Samatlis contegant totum corpus; vt ſtrati vice, cum dormiunt, iiſdem vtantur: pleriſque tamen mortalium perexiguæ ſunt: eiuſdem nihilominus, credo etiam maioris vtilitatis; atq; monſtroſæ illæ & immaniter grandes eſſe queant. Promtiſſimè enim ſonos recipiunt; & non modo per aërem vagantes, tanquam in ſinu colligunt: ſed natura inſuper*

Plato lib. 6. de legib. Quir. Piſo in libel. de Roman. & Venet. Magiſtrat. cõpar. Trincauel. lib. 3. conſil. 17.

Ariſt. lib. 1. hiſt. an. c. 11. Gal. l. 11. de vſ. par. c. 12.

Alexand. ab Alex. lib. 1. genial. dier. cap. 26.

Lindſchot. 2. part. Ind. orient. c. 44. Pompon. Mel. Plin. lib. 4. c. 13. Cœl. Rhodi. lib. 3. A. L. c. 39. Ariſt. 2. de anim. c. 8. Bauhin. theat. Anato. l. 3. c. 63.

* Στενὰς τε ποιεῖ τῆς ἀκυῆς εἰσόδυς,
Καὶ κοχλοειδεῖς τὰς θύρας ἐργάζεται:
Ὡς ἂν καθ' εἱρμὸν εἰσρέωσιν οἱ κτύποι:
Καὶ μὴ καταπλήξωσι τὺς ἔσω πόρυς,
Ηχοις ἀτάκτοις ἐμπεσόντες οἱ ψόφοι.

Ac ne vllum tempus præteruolet; quin auribus excipere aliquid poßimus; siue ad artem pertinens, siue sapientiam, siue notitiam: natura eas patere semper apertâ conchâ atque alueario voluit, dormientibus quoque: vt sono experrecti sese tueãtur. Pateat perinde Princeps omnibus; faciles aditus præbeat, non optimatibus solùm; sed infimæ etiam plebeculæ: nullius inopiam ac vilitatem non tribunali, non domo, non cubiculo excludat: de occupatione caussetur nunquã. Quâ facilitate & ipse rescifcet omnia; quæ de re sua priuata, publica fiant: & soricibus aulicis viam intercludet: ne pecuniæ siticuloso ad dore, tacendo quid supprimant, vel calumniis deprauent. Nónne verò ridebimus Boneum Indiæ Regem: qui præter vxorem & liberos in conspectum aut alloquium admittebat planè neminem; videbaturque à nemine: sed è domesticis aliquis, ex abstruso loco, arundine ori admotâ, compellare adeuntes atque dimittere solebat. Honorificentius longè est Traiani encomium: qui amicis incusantibus, quod parum memor maiestatis, omnibus adeò esset expositus; Talem, ait, præstabo me Imperatorẽ priuatis; qualem optarem ipse priuatus. *Quâ nunc sanctimoniâ de ore loquemur? quo interprete*

** Auditionis transitus arctos facit, Et flexuosas machinatur ianuas: Fluant in aures ordinis serie vt soni: Ne fortè lædãtur meatus intimi; Si pulsibus grauissimis soni irruant.* Georg. Pisides in Hexaëm.

Vt aures semper patent:

Sic Princeps aditurìs se non deneget accessum.

Arist. 1 hist. anim. c. 15. & 11. Galen. 11. de vs. par. c. 12. Auson in Panegyr. Gratian. Cic. epist 1. ad Q. Fr. Bodin. l. 4. de repub. cap. 6.

Dio Caff.

—diis à vatibus artes
Hausimus ante rudes, gelidoq; sepulta timore
Semina spirituum generosos cimus ad ortus. Guil. Saluſt. hebdom. 1. lib. 6.

Eius labra simul atque leni hiatu diducantur; dentes in conspectum prodeunt: qui, vt
Eduratq; molant saxi versatilis instar
Imminuantq; dapes;—— Ibid.

Vt in ore dentes durissimi durissima quaque comminuunt: Sic Princeps fortitudine & patientiâ leniat aduersa.

solidissimâ suâ duritie, reliqua ossa longis post se interuallis relinquunt. Nam & ferri aciem haud reformidant; & sculpturæ omninò sunt inepti: &, cùm sarcophago lapide totum corpus, quadraginta dierum spatio absumatur; soli dentes ætatem ferunt. Quod si Principi aut Magistratui obiiciantur dura & aduersa: si optimè consulta cadant pessimè: ne frangatur animo aut perturbetur; vt quasi tumultuans de gradu deiiciatur: sed terribilia adeat, dura sustineat, fiduciâ mentis imperterritæ. Quidquid enim machinentur improbi; sedet tamen, Rei pub. intentus Plin. lib. 7. c 16. Andr. Laur. lib. 2. anatom. cap. 2.

——conditor altus
Rerumq; regens flectit habenas,
Rex, & Dominus, fons, & origo,
Lex & sapiens arbiter aui. Boët. lib. 4. c. 6.

Calumnia contemptus est adminiculum diuturnitatis imperii:

Spargantur etiam sequiores rumusculi, ex criminatione vulgi; quod ex opinione multa, ex veritate pauca indicat: tutissimum, sat scio, præsidium in innocentia habet: siq; vilitates hasce, vt mortalia omnia, infra suam magnitudinem ponit. Antigonus Rex Asiæ satis habuit; cùm à licentiosis militibus impeteretur calumnia; fictâ voce eos iussisse abscedere tentorio: ne à Rege audirentur: satius fore ratus, conuitia non meminisse, ne agnita viderentur. Hoc ipsum præsentissimum est diu- Cic. pro S. Roscio. Tacit. lib. 14. annal. Plutarch. in apophtheg.

turnitatis

Arist. 2. hist. anim. c. 3. *turnitatis imperii adminiculum*: non secus atque dentes, quo fuerint solidiores, & iuncti magis continuitate: cò viuaciorem hominem fortioremque esse designant. Tale fuit Pyrrhi Epirotarum regis, valido corpore: qui dentem vnicum duntaxat in superiore maxilla habuit: hoc est, os æqualiter extentum, & quasi linearum notis ad dentium speciem distinctum. *Ac priusquam hinc abeamus; considerandum est illud, quod ad memoriam doctrinamq. elegans est: non nudos prominere dentes; quod & indecorum foret, & pro tutela parum. Gingiua enim caro immobilis omnem dentium seriem cingit. Hæc alueolos præbet, quibus ceu clauo ligneo infiguntur dentes: hæc locellos, hæc præsepiola suppeditat: vbi conquiescere illi suauiter, vinculisq. alligati, præparare alimenta toti corpori possint.* Quæ omnia mihi pensiculatius examinanti videntur Principes ac Magistratus commoneri: non iis tantùm domicilia esse liberaliter collocanda: qui scholis, Ecclesiæ, ciuitati publico nomine prosunt: sed miserabilium quoque, & pauperum, & ægrorum, & senio confectorum rationem habendam esse. His xenodochia debentur & valetudinaria: quibus fidi curatores præsint, ac redituum dispensatores: vt & egestati miserorum succurratur; & iuxta leges fiant omnia, pro distinctione virorum, fœminarũ, orphanorũ, senum, ęgrorũ, decumbentiũ, non decumbentiũ. Commendantur hac laudis prærogatiuâ; & meritò Principes Palatini: ad cælum extolluntur Noribergenses, Argentinenses, Amsterdamenses: quorũ & nosocomia & hospitalia vidẽtur q̃ instructissima, mũditie verò singulari.

Plutarch. in vit.

Arist. lib. 1. histor. anim. cap. 11. Auerr. 1. coll. 10.

Deuteron. c. 10. v. 18. 19.

Pet. Gregor. lib. 2. de prælud iur. cap. 24. Althus. c. 31. polit.

Kekerman. lib. 1 polit. c. 14.

Perinde atq. solidi dentes viuacem denotant.

Vt gingiua præbent dentib. alueolos:

Sic Principes ægrotis & pauperibus xenodochia constituant.

Calamitosum est, oberrare hinc inde in ciuitate personas miserabiles: Perinde atque molestissimum, laxatis gingiuis vacillare dentes.

Deuterono. c. 24. v. 17.

O rem pietatis plenissimam, Deo acceptissimā! sed & Reipubl. honorificam! *Neque enim euidentior est nota malæ constitutæ ciuitatis; neque ad rerum confusionem procliuius quidquam; quàm miserabiles personas hinc inde oberrare; vitæ subsidia inuenire non posse.* Accidit idem dentibus; si gingiua laxetur, aut dissocientur nimis ex illis facta præsepiola. Dentes hîc ipsi labefactantur, nutant, mox procidunt: vnde oris perit dignitas; lingua sonum articulare nequit; aut blæsum fingit, perceptuque difficilimum; cibi ad commune alimentum frangi atque præparari non possunt. *Ac dum moramur in hac dentium & gingiuarum familia; in conspectum se atque iudicium maxillæ proferunt. Harum superior est altera, in homine & aliis animalibus omnibus, psittaco excepto & crocodilo, immobilis: altera inferior, in homine aliisque animalibus sola mobilis; præter crocodilum, cui hæc cum ossibus temporum tam strictè articulatur: vt moueri nullo modo possit. Vtraque in margine ac circuitu cauitates exhibet, quasi fossulas aut loculos; quibus serratim infiguntur dentes, vt ordine, sic officio vario. Hic prominent è maxilla antro incisores; qui gladiorum more, prætenui acie cibos diuidunt: illic canini deteguntur, confringentes, si quid prætermiserint incisores: alibi molares duritie suâ & latitudine in minutias cibum quasi molendo conterunt.* Similimum beneficium præstant in Republ. armamentaria: è quibus tela omnis generis machinæque depromuntur: siue propulsanda sit rebellio ciuium: siue extrinsecus libertas, aræ focique tuendi veniant. Ex ædificiis armamentariisque publicis, arma populo Ro-

Reusner. de scorbut. exerc. 4. p. 190.

Arist. l. 1. histor. cap. 11. Galen. lib. 11. de vs. part. c. 18. 19.

Vt maxillæ sunt promptuaria variorum dentium ad varios comminuendi labores: Sic Principes habeant variè instructa armamentaria.

Cic. pr. C. Rabir.

mano

manô Marius Consul distribuit: Scipio quoque, traiecturus in Africam, non modò horrea in Sicilia compleuit annonâ; sed etiam armamētaria omnis bellici instrumenti referta habuit. Quid? quòd Hispanis arma suo sanguine cariora habebantur: & cura eorundem, Romanis legibus, ipsâ liberorum caritate antiquior esset. *Iam si linguæ officium, membri optimi simulq; pessimi dispiciamus: eminebit, quantum ego indicando adsequor: quid principi ad maiestatem conferre plurimum, Reipubl. commodis inseruire queat. Hæc non modò ἄγγελος λόγων existit, voluntatis nuncia:*

Opifex cùm sit lepidæq; grauisq; loquelæ:

sed molli est carne, rarâ, laxâ, spongiæ instar: quâ saporum differentias imbibere promptius atque dignoscere valeat. Huic eximio & voluptario gustandi instrumento id debemus beneficium: quod pro corporis nutritione eligimus grata, non insuauia, salutaria non perniciem allatura. Miseras ergo gentes, quæ ab orientis parte intima cum superiori labro, etiam linguis destituuntur! monstrosos quoque Coromondas, qui sine linguis, non sermonem, sed stridorem edunt planè formidabilem. Pari passu cum istis ambulant Principes, & Magistratum gerentes nobilem: si ab omni literarum & artium liberalium culturâ deferantur. Quomodo enim sapienter intelligent res tam diuersas? quomodo prudenter iudicabunt de rebus tam implicitis? nisi primò notitiam sibi comparauerint earum rerum, quæ bonæ malæue, & inter quas delectus instituendus: deinde exempla obseruauerint omnis æui, nostri, medii, antiqui. Vtraque res non ex alio fonte

Liu. *Iustin. l. 44.* *L. 19. § 7. ff. de captiu. & postl. reuers. Diog. Laërt. lib. 1. c. 9.* *Eurip. Liga. lib. 3. harm. corp. hum. Arist. lib. 2. de part. animal. c. 17. Galen. lib. 8. de vs. part. c. 5. & 9. Fernel. lib. 1. phys. c. 8. Liu. lib. 6. c. 30. Lycosth. de prodig. & ostent.*

Vt lingua discernit sapores gratos ab insuauibus.

Sic litera docent Principem honestum, turpe, vtile, noxiũ.

promanat, quàm doctrinâ sacrarum literarum; & iis autoribus, qui de arte gubernandi Rempubl. præcepta & exempla posteritati reliquerunt. Sapientissimum fuit Persarum institutum: apud quos regibus imperare non licebat; nisi familiariter prius cum Magis versati, literas ab iis ac philosophiam didicissent. Nec dissimiles Germanorum proceres: quorum quasi lex fundamentalis sancit: vt Electorum filii optimis assuefiant linguis, disciplinis liberalissimis imbuantur. *At non quiuis sapor linguæ est amabilis; nedum corpori profuturus: sed cuius temperata sit dulcedo, naturæ hominis familiarissima: austeros nimium, amaros, acres, salsos respuit, quæ quidem rectè valet; nec vitioso aliquo humore suffusa fuerit.* Principi quoq; & Reip. tum præfuturo, tum profuturo, non omnis doctrina conuenit: sed habenda est ea cum modo: ne in literis intemperantiâ laborare: neu scholæ potius, quam vitæ aut Reipub. didicisse videatur. *Appetit lingua potissimùm alimenta, panem, vinum, aquam, & quæ præterea ventris sunt stabilimenta.* Hęc Principi sunt disciplinæ; quæ informant animũ vero de Deo sensu, & eiusdem cultu: sunt porrò artes, quæ docent mores, quæ familiam gubernare, quæ ciuitates: sunt exemplorum promptuaria, optimi consiliarii: qui semper adsunt vocati; qui nihil occultant, nihil adulantur. Cæteras disciplinas leuiter attigisse sufficiat: esse in iis peregrinatum, non habitasse: *haud secus ac lingua condimentis gaudet; sed ad leuem breuemque oblectationem: non vt ventriculum iis planè infarciat.* Neque abs re Iulianus contemptim Græculus

Philo in exp. 6. & 7. pr.

Aurea bulla Caroli IV.

Vt lingua dulcia sunt grata & naturæ hominis:

Galen. lib. 4. simpl. c. 9.

Sic Principi tantum necessaria sunt artes, quæ ad Remp. pertinent.

Senec. epist. 89. & 117.

Panorm. de dict. & fact. Alphon.

literio

literio audiebat: quòd is, Republic. interdum relictâ studiisque grauioribus, assiduus penè semper & accubuus Poëtis Comicisque fuisset. *Satis iam multa verba de capite feci; atque ita reputo: quæ breuitatis caussâ præterii, aut leniori brachio attigi: ea quemlibet cogitatione adsequi facilimè aut coniecturâ posse. Trahit me iam orationis filum ad thoracem; quem artifices medium ventrem appellare solent. In eum quomodo corporis & mentis oculos defigo: ne sit cuiquam graue, tædium, si quod hactenus conceperit, deponere: & quod orationis superest, nouo attentionis Zephyro prosequi. Ac contemplanti mihi, vt par est, structuram eius situmque; primò omnium se mammæ offerunt, ex cute, adipe, glandulis, & vasorum myriadibus intertextæ; fœminis præsertim. His enim natura eas ad pectus, non vt viris, munimenti saltem ornatúsue gratiâ adposuit: sed ob lactationem commodiorem; calore & sanguine copioso illuc è vicino corde transfuso: vtque mater possit simul*

Arist. lib. 4. de part. animal. c. 10.

** osculari amplectique & fouere infantem.*

Plut. de amor. prol.

Vt matres ex mammis, magno cum amore pueris gratissimum præbent alimentum.

* φιλῆσαι καὶ περιπτύξαι καὶ κατασπάσασθαι τὸ νήπιον.

Inficias equidem non ibo imprudentius: conspectos fuisse, quauis mundi tempestate, non vnos ex virorum quoque numero: quibus intra mammarum spongias lac generatum fuerit, eo sæpè confluxu: vt infantes inde nutrire potuerint: quod noui orbis incolis pene omnibus familiare esse volunt. Quantumcunque tamen illud sit lactis; colore potiùs qualemqualem ideam mentitur; cæterà tenue, serosum, minusque ad alimoniam salutare, præ illo; quod ex papillis matrum, probi succi, dulcedinis suauissimæ, virium maximarum, naturæ prærogatiuâ exsugimus

Aristo. lib. 1. histor. anim. c. 12. & lib. 3. cap. 20. Vesal. lib. 5. c. 18. de corp. hum. fabric. Alexan. Benedict. l. 3. c. 4. anat. Carda. l. 12. de subtil. And. Laur. l. 9. c. 2. q. 2.

Non opus hîc esse arbitror, operosè copioseque disserere: quid Principes ac Magistratus, quid subditi ac ciues intueri oculis, facto verò exprimere ipso debeant. Patet in promptuque est; à bonis parentibus nihil differre bonos Principes; nihil bonos ciues à liberis, parentum obseruantissimis. Qui ergo Princeps non pectori admoueat, non amet calidissimè eos; quorum causâ personam hanc gerit? cur non propensissimâ quadam inclinatione, moderatori Reipub. beata ciuium vita proposita esse debeat? atque, ex aurea Adriani voce, ita Rempubl. gerat; vt sciat, populi rem esse, non propriam. Quid ego hîc non commendem Alexandrum, nomine & re Magnum? Qui cùm ipse ad Oxum fluuium peruenisset, squalidissimâ siti, cum vniuerso penè milite enectus: misit obuiam; qui tardiùs insequenti agmini aquam ferrent: ipse non ante aut cibum, aut potum degustauit; nec ad vllam corporis curam versus est; quàm in castra omnes peruenissent. Quod dum Princeps facit; ne quis ciuium arbitretur, à se quidquam requiri potius aut dignius, amore in principem & fidelitate: cuius singulari cum reuerentia autoritatem tueatur, etiam laterum suorum oppositu. Nequeo quin Æthiopum testimonia prouocem. Iis mos fuit, vt, si quando Rex aliquâ corporis parte laboraret; domestici omnes suâ sponte eandem sibi debilitarent: turpe existimantes, rege claudo, non omnibus claudicandum esse. *Ac dum accuratius perlustro totum hoc vallum osseum, quo thorax obducitur: venit in mentem artissimæ copulationis,*

Sic Princeps vt parens beneuolentia prosequatur subditos, tanquam filios.

Plato libr. 1. de repub. Cicer. lib. 8. ad Attic.

Qu. Curt. lib. 7. Arrian. l. 6.

Diodor. Sic.

nis,

nis, quæ vertebris dorsi cum sterno & arcuatis vtrinq; costis intercedit. Ex his enim superiores nouem, posticâ regione, duplici connectuntur articulo; inferiores vno: anticâ verò facie cum sterno tam firmâ articulatione iunguntur omnes: vt & robur accedat cordi; & contrahi idem diduciq; commodißimè poßit. Id minimè accidisse reor Protophani Magnesio; qui costas, germanas dictas, non habuit; sed earum loco os continuum ab humeris ad eam partem, quâ spuriæ pronascuntur. Et quidquam differant ab isto costarum beneficio fœdera? Aut me fallunt omnia: aut Reipub. consulitur tutelæ, ciuium manus animusque crescit: si cum aliis societas ineatur, ad præstanda mutua auxilia. His nihil magis necessarium in hac mundi statione: quæ qui negligunt; & dum neutrarum se fatentur partium;

Galen. lib. 8. administ. anat. c. 1. Id. 7. de vsu part. c. 21.

Vt costarum firmâ articulatione roboratur pectus:

Pausan. in Attic.

Sic fœderib. stabiliuntur imperia.

——*librant geminas euentu vindice vires.*

Claudian.

Nam in vtriusq; partis enses & insidias plerunq; se præcipitant: neque amicos parant, neque inimicos tollunt. Nulla itaque gens fuit tam improuida, aut immanitate barbara: quæ non æstimio habuerit summo fœderum pactiones. Eas Scythæ, & Armenii, & Germani inibant hausto sanguine, ex corpore vtrinque sauciato: Macedones panem gladio diuisum libabant: Romani per Iouem Patremque Patratum, quasi rem sanctissimam confirmabant. *Atque hoc loco repetendum est illud, quod memoriâ dignum maximè: copulari cum vertebris & sterno costas, præsertim inferiores, non cuiusuis interuentu partis, sed cartilagine tantum: cuius cum ossibus magna est vtrinque cognatio, temperie, colore, sensus priuatione, propinquitate loci; quandoque*

Flor. l. 4. c. 1. Valer. Max. lib. 9. c. 11. Athen. lib. 2. c. 2. Q. Curt. l. 8. Liu. lib. 1.

Gal. 8. admin. anat. Idem 7. de vsu part. c. 21.

Vt articulatio non fit ex contrariis partibus:

etiam officiorum similitudine. Quod si fœdera sanciantur cum iis; quorum in vicinia eadem est studiorum ac naturæ similitudo; quorum res non omninò sint adflictæ aut iacentes: illud ipsum ad commodum simul ac perpetuitatem vim habet maximam. At fœdus inire cum infidelibus, qui Christum eiurarunt: si cum iis communes & hostes & amicos habeas: ea res cum impietate atque pernicie coniuncta esse solet. Asa equidem, ab ipso Deo in sinu & oculis gestatus, cum Benadabo Syro fœdus sancit: & sancit aduersus Baascham impium atque iniurium. Quàm verò hæc consociatio à pietate abhorruerit, ac cœlesti Numine: id diuino instinctu, apostasias nomine arguens Propheta, grauiter enunciat: Quandoquidem innixus es Rege Syriæ; ac non innixus es Iehouâ Deo tuo: idcirco se proripiunt copiæ Regis Syriæ; ne sint ad manum tibi; stultè egisti in hac re: nam porrò contra te bella sunt futura. *Quo verò in discrimine constituitur salus nostra: vbi ex costis vna, versus interiora, fracta fuerit, aut assulatim fissa? Id experientia docet, vel stultorum magistra: fragmentorum aculeos acerbissimè pungere membranam costalem; puncturam sequitur dolor, dolorem inflammatio, inflammationem puris colluuies: hanc denique mors præsentissima.* An est quisquam tam sine fronte, sine corde; qui stabile imperium arbitretur: si amicitiæ dissoluantur, violentur societates, rumpantur fœdera? Turpissimus hic quidem error: &

Promissam temerasse fidem, exprobratio magna est.

Cui enim bono Romani, Fidem in Capitolio vi-

cinam

Sic fœdera nō sanciantur cum infidelibus.

1. Reg. 15. v. 18. 19.

2. Chron. c. 17. v. 7. & 9.

Vt costâ fractâ letales morbi inducuntur:

Para. lib. 14. chirurg. c. 11.

Sic violatâ fide soluuntur fundamenta Reip.

Neoptolem. apud So.

Cic. 3. offic.

Bodin. l. 5. de repub. cap. 6.

Galen. l. 5. de loc. aff. cap. 3

Id. 5. admin. anat. cap. 8. & lib. 4. de vs. par. c. 14.

Arist. lib. 7. polit. c. 6.

Plato lib. 4. de ll.

Panorm lib. 3. de dict. & fact. Alph cap. 34

Tacit. de mor. Germ.

cinam Ioui Opt. Max. esse voluerunt? nisi vt planum fieret omnibus: eam esse vnicum iustitiæ fundamentum: quo subruto, præsto est diffidentia, infamia, ruina. Inuitus refrico memoriam illius tempestatis; quâ Hunniades à pace Turcarum discedere coactus fuit: quasi fidem infideli datam, ex purpuratorum sententiâ, seruari non oporteret. Miserabilis enim ad Nicopolin clades, quâ Sigismundi copiæ penè innumerabiles affectę sunt, euidens documentum dedit; decretum illud, q; patribus placuerat, immortali Deo displicuisse. *Venio nunc ad musculorum illud primariumq; respirationis instrumentum; quod diaphragma, cingulum, septum transuersum nominant. In eo perelegans mihi videtur: quod duplici foramine pertusum; vno transitum venæ cauæ, altero viam stomachi, cibi potusq; vehiculo largiatur.* Adfine huic est in repub. ius commerciorũ; quo superflua exportare licet, importare autem ea, quibus caremus, sed carere non possumus. Necessarium hoc est, si quod aliud, leuandæ inopiæ subsidium, coniunctionis cum exteris vinculum, experientię comparandę occasio quã bellissima. Pateant ergo itinera portusq;, incolis, exteris: neq; ingenuos ciuium animos corrumpi inde, cũ Platone metuamus. *Neq; verò & stomachus & vena caua plus spatii occupant, aut deposcunt beneficii: quàm ipsi natura designauit; vt permeare commodè, sine compositione possint.* Ac ne in Republic. quidem ferendæ sunt mercatorum fraudes & effrenis vsurarum licentia: de qua rectissimè dixit, quisquis dixerit: fœnus, animæ funus esse, Germanis olim planè ignotum.

Vt diaphragma ingentibus vasis transitum prabet:

Sic iura commerciorum in Rep. sunt libera,

Vt vasa, per diaphragma meãtia exiguum captũt spacium: Sic mercatores non rapiant immodicas vsuras.

Quemadmodum enim si sanguis se effundat in diaphragma, vt tumescat inflammatum; mens delirans sede suâ deiicitur: vt vita ipsa de filo putri pendere videatur: sic ille fœneratorum excessus discordias sæpè ac seditiones mouit in Republicâ. Ab ea sanguisugas hosce eiiciebat Lycurgus: manus etiam amputatione Gallia plectebat. *Id potius videamus: quàm vena caua sit gratissima in diaphragma! quàm insigni officio beneficium data vita rependat! Tribuit enim illi fruticantes venarum ramulos; quos, per diaphragmatis corpus, alimenta dimetientes, à parte ipsa phrenicos appellamus.* Meminerint hîc officii, qui frugi ciues & dici & esse volunt: vt ad necessitatem & dignitatem Principi tributa pendant ex possessionibus; vectigalia ex iis, quæ terrâ aut aquâ aduehuntur: siue certam quotannis & recurrentem habeant præstationem: siue præterea nouam collationem necessitas publica exigat. In his enim Reipub. neruos esse, nemo infitebitur: modo hæ pecuniæ non ex oppressione, neq; ex lachrymis ciuium corrodantur: ne reluctari illi, onere oppressi, incipiant. Nondum enim obliteratum est obliuione; quod Athæo Lydorum regi, sæuiss. tributorum atque inexorabili exactori vsu venit. Eum nocturnâ tesserâ inter se datâ confluentes vndique ciues opprimunt: trucidant cum omni familiâ: cadauer eius infami vnco tractum, in Pactolum flumen demergunt: vt satiaretur vndis, cui fortunæ populi satis esse non poterant. *Sequimur nunc eò, quò partium nos vocat vicinia: vt cordis domicilium atque situm intueamur: in quo*

Vt vena caua, permeans diaphragma, tribuit illi sanguinem: Sic ciues vectigalia Principi & tributa pendant.

Hippoc. li. 3. de morb. Galen. lib. 5. loc. aff. c. 3.

Plutarch. in Lycurg. Cuiac. lib. 7. obs. 13.

Galen. 7. admin. anat.

Pet. Gregor. lib. 3. c. 2. de repub.

Patrit. lib. 4. de regn. tit. 9.

—anima

Guil. Salust. hebdom. 2. lib. 6.

—anima irrequies constantibus incita plagis
Si fertur, certa dat viuida signa salutis:

haud absimile primo, vt appellant, mobili: quæ sphæra, vt conseruet hoc vniuersum, nec fatigatur motu, nec viribus atteritur. Locatum est cor in medio, non thorace tantùm, sed reliquo corpore, vbi crura non consideres: vt viuificum nectar in omnia extrema peraquè, siue aperto meatu, siue cæcâ viâ diffundat. Perinde etiam Sol, in medio Planetarum constitutus, ad penitissimos terræ & aquæ recessus, paucissimis explorato modo, vires suas insinuat. Res mihi hîc rursus cũ Principe. Is si regiam suam in medio territorii collocabit; id consequetur commodi: vt quid hinc inde geratur, maturrimè sciat: ex æquo succurrat vbicunq; de gentibus subditis: & hi, ex quibuscunq; ditionis partibus, minori viæ sumptuumque impendio adire dominum possint. Ita quidem apud Persas comparatum erat Susis aut Ecbatanis: * ὥστε τὸν βασιλέα γινώσκειν αὐθημερὸν πάντα τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ καινουργούμενα. *Atque in huius ipsius visceris sinu, quem ventriculum vocant sinistrum, vitalis ille spiritus generatur; qui probè coctus, & per arterias diductus, solarium radiorum instar, membra omnia fouet, sopita suscitat, iacentia erigit, defecta viribus instaurat: vt diuinus senex rudiorum captui se accommodans,* * γνώμην τὴν τοῦ ἀνθρώπου πεφυκέναι ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ *dicere non dubitauit.* Hic vitalis spiritus, hoc salutare lumen in Republ. sunt bonæ leges: quæ si manifestam vtilitatem habeant, & honestam æquitatem, cum necessitate coniunctam: fundamentum existunt firmum, quo Respub. fulcitur atque continetur. Hæ in sinu principis, & intimâ

Galen. 6. de vsu part. c. 2. Arist. lib. 1. hist. ani. c. 7. Mizald. harmon. hom. & cæli dial. 6.

Vt cor est in medio corpore:

Sic Principis regia sit in medio territorio.

** quicquid rerū nouarū quisquam in Asiâ moliretur aut inceptaret; rex vt ipse vno die rescisceret.*

Sicut ex corde manat in omnia mēbra spiritus vitalis:

Arist. lib. de mundo c. 6. *Galen. lib. 6. de vsu part. c. 7. & 11.*

** animam hominis in sinistro sinu esse sitam.* Hipp. lib. de corde. *Cic. lib. 2. de Repub.*

Sic Reipubl. vita & spiritus sunt bonæ leges.

cordis cogitationumque sede conduntur: tum adsensu optimatum receptæ, consiliariorum iudiciis adprobatæ, non modo promulgantur in omne Reipubl. corpus, sed & explicantur ab eodem Principe. Vsurpandum id nobis repetendumque memoriâ: quod Thuisco, Germanorum Rex primus, autoritate singulari, leges carminibus fuit interpretatus: quæ publicè, quæ priuatim cantarentur; ne obsolescerent ætate; aut quenquam excusaret ignorantia. Neque verò id eò dictum arbitretur Princeps; ac si liceat sibi leges condere, non item obseruare, aut adstrictum se illis profiteri. *Non id agit cor; vt profundo latetur ocio: aut arterias tantùm indesinenti pulsu micare faciat; sed ipsum vnà allaborat; quanto potest, nisu maximo: & suo quoque spirituoso sanguine fruitur, pasciturque. Ad eius postea dilatationem arteriæ distenduntur: quæ & vicissim constringuntur, vbi cor sese contraxerit.* Quo tandem animo populus mouebitur, vt leges obseruet? nisi exemplo suo inuitet eum Princeps; quæ iubendi ratio omnium est lenissima. Sic imperârunt boni Principes: è quorum censu Theodosius, dignam vocem maiestate regnantis putauit, legibus alligatum se fateri: reueràque maius esse imperio, submittere legibus principatum. *Id quoque licet obseruare; non tantùm generari spiritus vitales ex sanguine, qui est in cordis ventriculo dextro: sed aërem quoque extrinsecus esse hauriendum quem arteria venosa in cordis sinistrum thalamum ingerat.* Nec Principi fraudi erit, aut vertendum vitio: si in legum Ecclesiasticarum societatem, ea quoque ad vsum Reipubl.

Auentin. l. 1. Annal.

Sicut cor pascitur suo sanguine & spiritu:

Gal. 6. de vs. part. c. 8. & lib. 1. c. 1. de puls. ad tyron.

Ita Princeps suis legibus obediat.

Plin. in Panegyr. l. digna vox C. de leg.

Vt ad spiritū vitalem attrahitur etiam aër externus: Sic ad Rempubl. etiam Ethnicorum leges admittuntur.

Gal. de dissect. ven. 9. & lib. 7. admin. anat. c. 4.

publ.

publ, transferet: quæ Ethnici quondam excogitata ingeniosè, aptè disposita, pari æquitate ad ciuilem ordinem ac disciplinam prodiderunt. Equidem fateor; præstantiora bona esse, quæ per verbum DEI communicat sacer Spiritus: vt Beseleeli & Oliabo scientia fabrilis diuinâ inspiratione erat tradenda. Sed nec Ethnicorum in re ciuili sapientia est neganda: Cùm nihil mereri laudem queat, aut dici præclarum: quod non recognoscamus à Deo prouenire: bonasque leges Deorum inuenta esse, ipsi Ethnici præ se tulerint læti lubentesque. *Pulmo se nunc inflat, follis ac flabellum cordis; atque etiam Zephyro similis, qui*

Exod. 31. v. 2. & c. 35. v. 30. Niualc. lib. 1. instit. c. 2. sect. 14 & 15.

Arist. lib 1. hist. an. c 16.

Flatibus accendit flammas & temperat æstus.
Flatibus alternis redeunt commercia vitæ;
Itque, reditque suos repetendo spiritus haustus:
Et reduci vento fibræ pulmonis anhelant.

Dracont. in Hexaëm.

Nisi enim pulmo ventilatione suâ cordi aliquod refrigerium adferret:

Vt pulmo, liberè ventilatus, cor ipsum conseruat:

Gal. 7. de vs. part. c. 8. Ioan. Lg. lib. 3. harm. corp. hum.

Ad rapidum ex omni frangendum parte calorem:

Perinde atque flamma non ventilata contabescit: sic cor ipsum feruore nimio depasceretur atque interiret. Habent hîc ciues, quo gratulentur sibi; cum conscientiæ libertatem adepti sunt; & religionis pacem à Principe concessam: vt cœlesti nectare, quod est verbi diuini prædicatio, vti fruique possint. Hoc sese sustentent; hoc alant animas suas ad æternam beatitatem. Hoc denegato tantillùm, vel sublato; quod est, quod in hac mortali vitâ aut dulce,

Sic liberum religionis exercitium toti ciuitati prodest.

aut expetendum esse videatur? Quanta per Deũ immortalem oritur præ lætitiâ concertatio; hinc ex fletu, illinc ex iubilis! cùm populus Iudaicus Babylonio dimissus carcere, diuinum cultum in patriâ precibus atque sacrificiis instauraret. *Sed ne beneficio Principum abutantur subditi, vel ad dissolutionem disciplinæ, vel ad licentiam nouarum opinionum; quasi ea sit conscientiæ libertas, aut religionis; fingere quæcunq; dogmatum monstra, & in vulgus proferre. Non est hæc religio, sed religionis fœdum prostibulum. Intra confessionis subsistendum est cancellos; quam ipse Princeps approbauerit, sacris literis conformem; ni fiat; sus deque ferentur omnia.* Nam & pulmoni & cordi non est amica quæuis aëris temperies: sed qui purus sit, qui limpidus, qui careat inquinamentis. Quoties enim & quàm multi fuerunt exsoluti strangulatique? cùm vitiatum ex carbonibus fumum hausissent; aut ex parietibus, calce recens illitis. Periit thermarum euaporatione Cretensis Minos: necatur fumo candentium carbonum Q. Luctatius Catulus, à Collega Mario cubiculo inclusus & mori iussus. *Ac dum in suffocationis pericula memorando incidimus: de gula quoq; eadem necesse est referamus.* Hæc,

—— angustus potusq; cibiq; canalis
Panniculis constans; ——

vt alimenta in ventriculum deducat; meatum requirit liberrimum: nihilq; adeò vel leuissimè impactum, quod deglutionem impedire queat. Tarquinius Priscus, cùm ad mensam sedenti os piscis transuersim adhæreret gutturi nocte illâ miserabiliter exspirauit. Quid Terpander Citharœdus insignis? Cum Spartæ caneret in Scia-

de,

Non quæuis religionum phantasmata sunt admittenda.

Perinde atq; non quiuis aër, sed salubris tantũ pulmoni cordiq; conuenit.

Vt, gulâ tantillum impeditâ, cum respiratione vita desinit.

Esra c. 3. v. 11. 12. 13.

Brasauol. lib. 2. ad 41. aphor. Hipp. Christo. à Vega de art. medic. lib 3 sect. 5. cap. 8 Ouid. in Ibin. Valer. Max.

Liga harm. lib. 3. Hippoc. lib. de corde. Guid. Bitur. in hagiograph. Triphon. lib. 1. epigram. Græc.

de, & ore hiaret; quidam ficum temerè iaciens, faucibus eius tantâ vi impegit: vt omnis & gulæ & trachea via, ipsissima quoque animæ intercepta fuerit. Par est Rerumpublicarum ratio: in quibus si rerum dominia sunt conseruanda: & quilibet sine fraude suas reculas defendere atque possidere debeat: non de iis tantum sumatur supplicium; qui violenter aliorum domos perfringunt: sed etiam, qui

Sic via publica, nisi liberentur latrociniis, omnia cessant commercia.

Horat.

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Dio. lib. 56.

Nisi enim viæ publicæ præstetur securitas; latronum speluncis dirutis: præmiis in prædonum capita propositis; quæ sperari vnquam commercia possint? Quid Augustus aduersus Coracotam, latronum in Hispaniâ nobilissimum, & Ducem? quatuor & viginti mille coronatos publicè promiserat ei, qui hominem cepisset. Coracotas ipse ad Augustum adire, & pactû pro suo capite pretium petere non veretur: cui non modo veniam Augustus; sed præmium quoque dari iussit. *Alterâ se in thorace, ipsisq. faucibus offert fistula:*

Liga harm. lib. 3.

— — per quam circumfluus aër
Naribus exceptus patulis, exceptus & ore,
Paulatim tumidi pulmonis ad intima fertur.

In qua singularem Naturæ prouidentiam liceat admirari: quæ arteriam hanc, asperam dictam, & duram fecit, & mollem. Duritiem ex semicirculis obtinet cartilagineis, propter vocem: cum, quod sonat, solidum esse debeat. Mollitiem verò accipit à ligamentis, ad iugulum maximè, vbi œsophagum tangit: vt is dilatari commodius, atque etiam respiratio promoueri possit. Hanc

Vt aspera arteria alibi mollis est, alibi dura.

Galen. lib. 7. de vsu part. cap. 4. & 5.

Sic principi quandoq; seueritas decet, quandoq; clementia.

temperiem prudentissimus quisque in Republ. Princeps seruat: vt ad formam archetypi sui quàm proximè accedat: rigidus est exactor; mitis vicissim clemensque miserator: paruis peccatis veniam, magnis seueritatem accommodat. Quandoque Constantinum arbitratur imitandum: qui irritatus, vt supplicium sumeret de iis, quorum lasciuiâ effigies sua, facie tenus, conuulnerata saxis esset; manu eam palpans, leniterque ridens: Ego verò, inquit, nunquam vulnus in fronte factum video: sed sanum quidem caput; sana & facies tota. Magnifica sanè vox! & quam ex ore Augusti Liuiæ didicisse creditur; quæ iudicabat: par esse, Principem ea, quę in Rempublicam peccantur, exsequi: at priuatim in se admissa tolerare. At in illis, quæ publici sunt commodi, rectè tum Gothorum Regi Totilæ obsequitur. Is roganti, vt parceret cuidam, qui virginem incestauerat, respondit: eiusdem ingenii esse, delicto se obstringere; & delictorum supplicia impedire. *Possim in hoc campo amplissimo exspaciari longiùs; nisi satius esse iudicarem: subsistere infra mediocritatem; & verba quandoque in compendium redigere. Veniamus nunc ad infimi ventris membra: & quod ad conseruationem Reipubl. indicium faciant; quid ad destructionem portendant: dispiciamus. Mitto hic peritonaeum, inuolucrum membraneum: quod partibus omnibus imæ regionis prætenditur: qualis ratio limitum ac terminorum esse, & conseruari debet. Prætereo abdominis musculos; propugnacula contentis partibus, etiam vbi quiescunt; qualia solent esse contra*

Tacit. in Agric. Baron. tom. 3. annal.

Dio lib. 56.

Carol. Sigon. 19. de occid. imper.

incursio-

incursiones sepimenta: qualis est murus ille, qui Chinenses quingentorum milliarium cinctu, à Tartarorum immanitate discludit. Ventriculum par est perpendere altiùs; organum illud cauum, rotundum & oblongum; triplo tunicatum ordine, & villorum genere omni intertextum:

Gerar. Mercat. in Atlant.
Gal. 4. de vsu part. c. 8.

Cuius ab igne dapes succum vertuntur in almum:

promptuarium cibi ac potus, & primæ coctionis officina. Quo officium faciente probè, cibumque in massam, cremori ptisanæ similem concoquente: tota corporis œconomia bellissimè valet. Valebit & Respubl. & optimis semper abundabit ciuibus: si prospiciat Magistratus; vt Parentes non magis curam pabulationis equorum, aut pecorum saginæ, quàm seriæ sedulæque liberorum informationis suscipiant, gerant. Quis enim nescit: *πηγὴν καὶ ῥίζαν καλοκἀγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας. Quemadmodum verò, qui fontem veneno perluit; in vniuersam peccat societatem hominum: ita qui non rectè erudiunt liberos, non solùm liberis; sed etiam Reipubl. iniuriam faciunt. *Ventriculus, vbi vel minimum adficitur; vel diuturnâ officii vacuitate redditur ignauior: corruit tota, certè debilitatur corporis œconomia; vt oraculi vicem obtineat: primæ coctionis vitia tolli in secundâ non posse. Quod cùm sæpe in communi vitâ obseruamus: tum maximè in casibus pluscutum raris: vt periculosa & mortifera symptomata excitentur. Quoties ranas, gyrinos, bufones, lacertas, sorices in ventriculo comperimus non natos tantum; sed adoleuisse quoque? siue per imprudentiam semina illorum fuerint hausta; siue intrinsecus fomitem conceperint.*

Guil. Salust. hebd. 1. lib. 6
Aristot. l. 4. part. anim. 4
Gal. 4. de vs. part. c. 3.

Vt ventriculus probè concoquens toti corpori laudabile nutrimentū suppeditat:

*fontem & radicem esse virtutis & honestatis, legitimam adsequi institutionem.
Plutarch. de instit. pueror.
Cic. 2. Verrin.

Sic proba liberorum educatio probos ciues Reipub. exhibet.

Vt vitiatâ coctione mōstrosa res in corpore generantur.

Gesn. hist. anim. lib. 2.
Cornel. Gem. cosmocrit. li. 1. c. 6.
Lam. de occul. l. 2. c. 40

Sic ex pravè educatis pueris, pessimi fiunt adolescentes, tandem viri.

Et credat quisquam? ex pueris adolescentibusq; negligenter & ad libidinem educatis, bonos in Republ. fieri ciues: & non potius excrementa ciuitatis. Fiunt, quod Themistocles dixit, è ferocissimis pullis generosissimi equi: sed si cura ac cedat & institutio: quæ si negligitur, dum pulli sunt, oleum operamque in domandis iis perdes. Perinde cum neglecta puerorum educatione comparatum est: vt mali pueri, mali adolescentes, mali viri, mali ciues euadant. Conscendat nunc optimus Crates altissimam turrim; &, quantum potest, exclamet: Quorsum ruitis ciues: qui omne in comparandis pecuniis studium ponitis: filiorum autem, quibus omnia relinquatis, nullam planè curam suscipitis! *Ab extremâ ventriculi orâ, intestina sequuntur; quæ mihi omnium optimè vulgi naturam, mores & adfectus, quasi in tabulâ repræsentare videntur. Intestina dubiis gyris implicita sunt, & cellulis anfractuosis*: quales in vulgi animis sunt recessus varii: & crebra, tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio & adfectuum. *Intestina crassa maximè, exportandis purgandisq. fecibus condita sunt: quod nisi fiat, vel nobilioribus aduersantur illæ visceribus: vel alienis locis, præter hominis dignitatem erumpunt. Visus Romæ, qui toto ferè vitæ curriculo, feces alui per os eduxit: obseruati plures, qui per vmbilicum eas, per vesicam & genitalia, per inguen expurgârunt.* Vulgus item, quod fecem esse Reipublicæ aiunt, ni compescatur, dignioribus aduersum est; & quibus potest modis superior esse supra sortem & sedem suam cupit.

Plutarch. de educ. lib.

Sicut intestina sunt anfractuosa: Sic vulgus est varium.

Gal. 4. de vs. part. c. 17. Cicer. pro Murana. Hippoc. de carnib.

Sicut intestina, fecibus nō purgata, visceribus aduersātur:

Sic vulgus graue est nobilib. viris, nisi coërcitū.

Mercur. libr. 2. cap 4. de excrem. Fernel. l. 6. pathol. c. 4. Cardan. lib. 18. de subtil. Beniuen. c. 86. de abdit. Galen. 1. de loc. aff. c. 4.

Murmu-

Murmura quandoque & strepitus intestinorum audiuntur tam sonori; quasi cùm

— magno misceri murmure cœlum
Incipit —

Iidem tamen opinione citiùs, cum ventris crepitu in auras abeunt, planeq; euanescunt. An hîc dissimile vulgus? Turbidum est, abruptum, præceps, torrentis instar: verbis ferox & minax, ingenio procacissimo: sed, si Duce careat, nihil vltra verba ausurum: quod impetu agatur; non delectu, aut sapientiâ. *Quemadmodum verò non deturbant feces intestina, nisi bilis, ex vesicula felleâ in duodenum effusa, stimulet ea suâ acrimoniâ*: ita promiscuam multitudinem tum continebis intra officium; vbi suppliciis submoueas à malitia: vt pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat. *Atq; vt cum ipsa natura duce vltra pergamus: innumeræ venæ mesaraicæ, quasi baiuli, ex intestinis alimentum ad epar deuehunt. Exiles illæ quidem sunt; sed à natura in delitiis habitæ: quas mesenterio colligat: adipe copioso infercit; glandulis plurimis communit: ne illorum ductus comprimantur.* Id quidem de opificibus in Republ. dicendum est; qui tranquillè & accommodatè legibus rerum suarum satagunt. Non enim ita est contemptibilis eorum conditio; quasi sordida sit, nihilque ingenui officina habeat: quam Christus ipse, fabriles exercens operas; suo exemplo sanctificare voluit. Nec puduit Demetrium, Asiæ regem nobilitare mechanicas artes; cùm machinas bellicas excellenti artificio concinnaret: nec pœnituit Thuisconem Regem Gambriuium, cereuisiam coquere ciues suos docuisse. Atqui non

Virgil. 4. Æneid.

Thucyd. l. 3.

Tacit. 3. hist.
Cicer. pro Planc.
Galen. 5. de vsu part. c. 3

Aristo. l. 10. Ethic. c. vlt.
Cicer. ad Brut. ep. 2.
Gal. 4. de vs. part. cap. 2.

Cic. 2. Offic.

Plutarch. in vit.

Gasser. in epit. Chron.

Intestinorũ crepitus facilè erumpunt, facilè cessant:

Impetus populi, sine Duce, non est durabilis.
Sicut intestina feces deponunt, acri bile excitata:
Sic vulgus turbidum pœnis compescitur.
Vt venæ mesaraicæ sunt exiles: sed chylum epati adferunt:

Sic opifices in Republ. sunt conducibiles, quãquam contemptibiles.

est eò amplianda hæc benignitas: quasi inter ci-ues nulla sit vel præmiorum differentia, vel ordinis, vel dignitatis: sed, quod Cyrus ait, approbo: Nihil inter homines inæqualius esse & letalius; quàm ignauum & fortem virum æqualia consequi. Illud in epatis officio natura demonstrat: qua duce errari nullo modo potest. *Princeps hoc viscus, etsi diuinâ carnis temperie, intra venarum plexus, sanguinem elaborat: non tamen idem eius dimensum aut æqualis portio est omnibus membris: sed*

Xenoph. l. 2. Cyropæd.

Cic. 2. de leg.

Vt epar cuique parti distribuat sanguinem pro rata portione:

——— inde per artus
Mortales caua vena vehens vice diuidit aquâ.

Guil Salust. hebd. 1. li. 6.

Hic ramus se explicat grandior; illic exiguus implantatur surculus: hic vena amplissima, illic vix capillaris; hic alia supertius adscendit; illic alia ad inferiora se demittit. Ne multa: quantum sat fuit pro dignitate partis aut necessitate, aut situ: tantum per emissarios ductus exhibet

Vena scatens armis, viuoq; simillima fonti:
Cuius inexhaustâ centum à scaturigine riui
Irriguum spargunt lymphis salientibus hortum.

Idem l. c.

Quidni in Republ. aliis atque aliis habeatur diuersus honos, pro loco cuiusuis & dignitate. Ne inuideamus primas equestri & literarum ordini: sequantur hos mercatores; quibus succedere non dedignentur, qui victum procurant, amictum, valetudinem, literas, ædificia. Tam amœnum est, addo etiam salutare; in hac inæqualitate videre tamen ordinem, & consensum, & vnionem animorum, & officiorum coniunctionem. *Est hac epatis quoque ratio; quæ amicissimè cum cerebro*

Sit æquum est, distinctos esse ciuium gradus, pro cuiusuis dignitate.

conspirat

conspirat per neruos; connectitur cordi per arterias & venas; ventriculo, lieni, intestinis per splenicum & mesentericum ramum: denique corporis nostri pars nulla habetur; cum qua iecori per venas, tanquam ligamenta communia, non intercedat familiaritas. Exulent ergo, atque etiam eiiciantur Republicâ: quotquot in eâ factiones, coitiones atque dissensus paucorum pluriumue excitare moliuntur. Quæ dum gliscere sentit princeps aut Magistratus: maturrimè auertit familiarum odia; abolet noua nomina; tollit secretas conuentiones edictis seueris: non vni parti magis, quàm alteri addictus. Id si negligitur: videndum, quàm factio Menelaica Antiochum è Syria in Iudæam attraxerit: quàm miserè fundamenta Reipub. Romanæ à Pompeianis & Iulianis conuulsa fuerint: quam luctuosè Guelphi & Gibellini totum pænè Christianum orbem euerterint. *Opponitur hepati in sinistro latere, insigne item viscus, & quasi vicarium epar, lien: quanquam is nonnunquam in dextro, illud in sinistro hypochondrio visum fuit: aliquando etiam, rarissimo naturæ miraculo, vtrumque desideratum. Atque hæc lienis caro, instar solidioris spongiæ aut pumicis, sanguinem à terrestri limo secernit, depuratque: vt tota sanguinis massa nutriendo fiat aptissima. Quo munere si frustretur: teterrima vaporum illuuies cerebrum petit; vnde non modo spiritibus offunduntur tenebræ: Sed cogitationes tam sibi absurdas imaginantur homines: vt nescias; magisne isti commiseratione digni, an deridiculo habeantur. Est, qui testam se factum putat: itaque, ne collidatur, cedit obuiam venientibus*

Vt epar per venas cum omnib. partibus consentit:

Sic Magistratus auertat omnes factionum occasiones.

Aristo. lib. 5. polit. c. 8. Dio lib. 52.

In lib. Maccab.

Cornel. Gem. lib. 1. cosmocr. c. 6. Schenck. l. 3. de hep. obs. 7. Galen. 4. de vs. part. c. 15. & lib. de atrâ bile.

Sicut lien, nisi succum melancholicum depurèt, absurdas imaginationes gignit:

Gal. l. 3. loc. aff. c. 6.

Visus & auditus: qui opinionem hanc imbiberat: stando esse negocia sua cõficienda omnia: ne, in sedile inclinans, confringeret nates; quas ex vitro cõflatas esse indicabat. Quod si maiori copiâ proueniant hi flatus; tetrioresque vapores turbent cerebrum acrius. : iam delirio accedit rabiosus furor:

Lem. de occul. li. 2. c. 6.

——furor arma ministrat.

Virg. 1. Æn.

Sic turbatur Respub. per buccinatores prauarũ opinionum.

Apparet, ne longius petita accersam; facere illud ad pacem vrbis, gloriam, honestatem, perpetuitatem; ciues non modo veras concepisse opiniones de via æternæ salutis ineundâ: sed dextrè quoque sentire de moribus, de magistratu, de legibus, de caussis Rempubl. conseruantibus, destruentib. Quo nomine os obstruendum à Magistratu seditiosis concionatoribus; qui seculo isto impudenti ac licentioso. vtramque buccam sæpenumerò inflant: vt plebis animos turbulentis opinionibus impleant; ad Magistratus contemptum, Reipublicæ perniciem. Malè sit omnibus iis, qui id agunt: quod Orator Demades frequenti sermone vsurpauit; cùm interrogaretur, quid faceret: se * πλην̄ύειν ναυάγια τῆ πατρίδι. Atq; id seriò præstitit: & præstant omnes, qui concionibus inflammant populum, ad seditiones alioqui procliuem: digni profectò, qui Demadis quoque fatum experiantur. Eum enim ob acerba dicteria, vicissim probris laceratum, ita infami supplicio affecit Cassander: vt, priusquam euomeret turbulentam animam, filii cruorem in sinu hauriret, eoque commacularetur: *Sed relictis hisce ventosis absurdisq; buccinatoribus, ad renes, cum venis emulgentib. descendamus. Illi, faseoli figuram referentes,*

Plutarch. in Phocio.

** cudere naufragia patriæ.*

Gal. 2. de fa-cul. nat. c. 17 *ferentes, tenuem sanguinem attrahunt, sero suo expurgant; perq; carunculas papillares colant: vt in vreterum membranosas fistulas corriuatus, vrinæ materiam suppeditet. Verum in attractione renum opus summoperè* Fernel. l. 6. pathol. c. 13. *est; ne quid nimis. Nam si in illis vel calor ingens, vel ardentissimus humor impactus, vim trahendi seri vehementer impellit: corpus vniuersum & sibi & calore immodico exhaustum, genio suo defraudatur, planeque contabescit.* Id dum fieri cernimus; occurrit: quæstores præsidesque prouinciarum & Principem depauperare, & deglubere populum, ad extremam vsque cuticulam: cùm exactionibus illicitis, prætextuq; mutui aut mulctarum, pecunias ciuium peculantur. Dio lib. 55. Id erat, quod Batto, Dux rebellium Dalmatarum, à Tiberio rogatus; cur deficerent à Romanis; cordatè respondit: Vos ipsi in culpâ estis: qui ad vestros greges custodiendos, non canes pastoresue, sed lupos emittitis. Quid ergo.

Vt renes calidiores sanguinem attrahunt nimium, alios detrahunt.

Sic quæstores ærarii, cū ditescunt, subditi depauperātur.

Horat. Sat. 1. lib. 1.

Miraris? cùm tu argento post omnia ponas:
Si nemo præstet, quem non merearis amorem.

Excipit orationem nostram, quæ & vrinam, vesica; velut laguncula quædam & conceptaculum. Gal. lib. 6. admin. anat. c. 14. *Atque vt per tempus vrina hìc asseruari queat; dum ratio & arbitrium iubeat extrudere: constringit vesicæ collum orbicularis musculus:*

Liga lib. 2. harm. *Ne fluat inuitis vrina recondita nobis.*

Gal. li. 4. de vs. part. c. 19. *Qui si refrigeretur, aut emollescat nimis laxatus; aut neruis suis resoluatur: præter voluntatem, & sine sensu vrina effluit; stragula madefiunt, sordent vestes, magnâ cum turpitudine atque etiam incommodo.* Misera quoque & fœda est Reipubl. facies; in qua gu-

Vt, vesi. à resolutâ, cū turpitudine etiam inuitis vrina profluit:

Sic miser est Magistratus, cuius vilescente autoritate obsequium negatur.

bernatorum existimatio vilescit; Magistratus contemnitur. Omnis hîc obediendi consensus, in quo vires imperii sitæ sunt, soluitur, siue contemptus ille à vitiis oriatur principum; siue formâ regionis prauâ; siue ex infelicitate & malè faustis successibus. Magnus Alexander: quo nescio, quisquámne exstiterit formidabilior; ita tamen à suis contemnitur ciuibus; cùm relictis patriis moribus ac vestibus, Persarum assumsisset: vt vniuersus Macedonum exercitus, abiectis armis, dimissionem postulauerit. Quod eò intelligendum; populi moribus, procerum maximè, accommodare se principem debere: non in speciem aut imponendi illis gratiâ: sed cognoscendum esse, quæ eis conueniant; quæ leges illorum moribus sint aptissimæ. *Accedo ad pudenda; quæ hoc nominis obtinuerunt, non primigeniâ suâ naturâ; quæ plena est miraculosæ Dei sapientiæ: sed malitiâ nostrâ, quæ pudenda est, & peccati obscenitate. Nam cum in his partibus, pruritu quodam, naturæ suæ corruptelam primitus sentirent protoplastæ: viderentq; per hos impuros canales, peccati venenum in omnes homines esse deriuandum: pudere ipsos, sed ô serò nimis, admissi cœpit: suadebatque ratio hæc turpitudinis instrumenta contegenda esse. Necessaria tamen sunt, quocunque numero habeantur, ad speciei nostræ propagationem; quæ fit perenni successione singulorum: quâ pater viuit in filio, vt artifex in opere. Atque humanæ huius conseruationis principale membrum testes sunt: bini à natura conditi: quanquam vno fuerint præclari Duces Sylla & Cotta: & Coleonum familia τριόρχις Bergomi credatur: quæ fortean hoc nomine, tres nigros*

Liu. lib. 3. Lips. 4. polit. c. 12.

Q. Curt. lib. 10.

Aslac. Ethic. Christ. v. 7. probl. 4.

Vt in testib elaboratur genitura ad propagandos homines:

ff. de re milit. 17. lib. 49. Cal. Rhodig. lib. 24. Ant. Lect. cap. 4.

gros testiculos, pro gentilitio symbolo ostendit. Testium horum beneficio & carne cauernosâ glanduleq; assimili, per vasa eò delatus sanguis

Lig. lib. 2. harm.

—abiciens rubidum, mutansq; colorem,
Seminis adsumit formas, albetq; coquendo:
Hinc alio exsudat coctum, tandemq; per orbes
Recta cauernosa deriuat in ostia virga.

Sic frugalitate crescit ærarium Principis ad Rempub. conseruandam.

Quid Reipub. confert vitam & robur; vt conseruari, propagari quoque societas humana possit? Victus, frugalitas & temperantia publica: vnde non modò principis ditatur ærarium: sed subinde augentur ciuium opes ac facultates: vt se tueri, suis relinquere locupletes hæreditates, totamque Rempubl. sublenare oneribus queant. Alexander certè vel hoc nomine Magnus; quod Carum reginæ Adæ minimè obsecutus; obsoniorum coquum & architectum bellariorum repudiauit: cùm meliores haberet delitiarum artifices: ad prandium quidem, nocturnum iter; ad cœnam verò tenue prandium. *Ad testes iterum voco ciues. Hi ad excretionem, non nisi moderatissimam sunt adhibendi: quatenus robustam generare prolem velimus; & vires conseruare, non atterere. Qui maiori licentia testes exhauriunt; hi fœdum corporis habitum, exsanguem, exsuccum, tristi macie contrahunt; vt & generationi fiant inepti; & loco seminalis liquoris excernant purum putum sanguinem; vt Milesius quidam: aut ventris elidantur crepitus; vt Arcesilaus fecit: aut per virgam eiiciant alui feces; vt Traguriensi cuidam contigit. Quin imò tolerabilior est hæc vel iactura, vel turpitudo præ morte subitaneâ; quam in*

Polyb. lib. 6.

Plutarch. in reg. imperat. apophtheg.

Vt testibus immoderatè euacuatis, corpus totū extenuatur.

Aurel. 5. Chron. Hipp. lib. 6. epidem. sect. 3. aph. 19. Alex. Ben. lib. 24 c. 36. de curand. morb.

Venere nimiâ, suo quasi iumento attraxerunt non vni. Ex horum numero sunt Cornelius Gallus, & Titus Herennius, Romani Equites: & superiori seculo Vir literatissimus, de quo, pro vindicanda Mathematicæ præsagitione iocularè istud circumfertur: Plin. lib. 7. c. 53.

In foueâ qui te periturum dixit aruspex;
Non est mentitus: coniugis illa fuit.

Sic tota ciuitas exhauritur, ni leges sumptuariæ ferantur.

Hîc ego ex comparatione, leges desidero sumptuarias; quibus comparcantur in ciuitate pecuniæ: & vel ignominiæ vel mulctæ notatione caueatur: ne quiuis insano nimis fastu ædes construat; vel instruat, sine modo, argento, supellectile, aulæis, signis, familiâ. Quò referendum; vt exquisita cœnarum ingenia & profusæ delitiæ abrogentur; & vt in materiâ formaq; mediocris sit apparatus: prout hic illi antistat ordine ac dignitate. Quæ enim Salus seruet hanc vrbem; in qua pisciculus boue carius vendatur? Sibaritas accepimus; cùm domiciliorum, comessandi, vestiendi delitiis vndique diffluerent: cùm equos ad tibiam in conuiuiis tripudiare assuefecissent: Crotoniatæ facilè, eneruatos necessario sumptu, viribus potissimùm animi, corporis oppresserunt; sibique ad tibiæ sonitum manciparunt. Exoriantur aliquando Oenoptæ; quales Atheniensium erant: qui in conuiuio, quantum quisque biberet, obseruabant. *Quid autem & quâ reuerentiâ de penis dignitate vsuq; exponam? (absint impudicæ aures & calumniæ) Per canalem hunc oblongum, fistulæ modo excauatum, in matricis loculos quasi hortum feracissimum effunditur* * πνεῦμα *illud* ἔνθερμον, ἐν ὑγρῷ ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον καὶ δυνάμενον ποιεῖν τι γονιμόν, οἷον ἀφ' οὗ καὶ ἀφέθη.

Alibi suf. c. 25. polit.

Plutarch. in vita Caton.

Athen. l. 10. dypnos. c. 15.

Athen. lib. 10. c. 7.

Vt penis defert vim prolificam in vterum:

** Spiritus calidus in humido per se mobilis: qui tale generare per se potens est, à quo emittitur.*

ἀφέξη. *Vnde apud Turcas, manifesto homicidii scelere, non testes abscinduntur iis: qui cubicularii principis esse volunt: sed veretrum demetitur: vt ad generationem nullatenus valeant.* Princeps in Republicâ quid simile habet nobili huic membro? Is quoque animi sensa, & oris quasi spiritum, quò vult, defert per Legatos: quos Cyrus designabat, qui ipsa rerum culmina essent. Itaque illud ius, quod est omni humano generi commune, violatur in personâ legati: quotiescumq; is vel conuitio excipitur cum irrisione; vt Marius Acilius, à Mithridate impositus asino: vel palàm adspergitur sordibus; vt Tarentini sacram Legati vestem spurcitie fœdarant; vel exarmatur, capitur, detinetur, clauditur carcere. Superat verò barbaram inhumanitatem; quod Britomaris Celta Romanorum Legatos, inuiolabili veste circumamictos, in frusta concidit; frusta per campos dis seminauit. *Mira verò est penis cum capite familiaritas, & consensus ferme incredibilis: vt, quod illi nocet, huic quoque damnum inferre compertum fuerit. Proditum memoriæ accepimus; Chirurgum semel tantùm hydrargyro vnxisse præputiū illi, qui ex cōcubitu obscæno vlcuscula inibi contraxerat: protinus caput vniuersum cum pene, saluis cæteris mēbris intumuisse.* Quod si Legatus non decenter omnia peragit, atq; ex mandantis non iussu tantum, sed & dignitate: quidquid peccetur, in caput & ignominiā principis redundat. Ridetur Legatio Senatus Romani, missa ad pacem, inter Nicomedem & Prusiam faciendam. Cùm enim è Legatis vnus haberet caput cicatricosum; alter pedibus æger esset;

Scalig. exercit. 104. num. 8. Riolan. de procre. hom. c. 3. Xenoph. lib. 8. Cyropæd.

Sic Legati mandata Principum nuntiant.

Appian. Alex. in Mithrid. Strabo lib. 8.

Appian.

Vt pene læso, caput læditur.

Alexand. Traian. Petron. lib. 2. c. 17. de morb. Gall.

Sic Legato peccante, ignominia in Principem redundat.

Appian. in Mithrid.

tertius existimaretur ingenio socors: argutè, more suo, legationi sic insignitæ illusit Cato: qui eam neque caput, neq; pedes, neque cor, (vt de Claudio Seneca) habere dixit. *Sed nec vterum considerare grauemur; quem Saluator Christus, ad expianda hominũ crimina, suâ innocentiâ sanctificare dignatus fuit. Hic ille est naturæ campus & procreationis hortus: in quo non fœtus tantùm rudimenta capit; sed incrementum etiam: in quo fouetur, alitur, defenditur; quamdiu in cauitate hac, membranis suis inuolutus duret. Quod si verò perrumpat inuolucra, & acetabula vteri emolliat, ligamenta dissoluat, ante tempus, quod natura præfiniuit: abortus fiunt, magno cum discrimine matris, fœtus non minori. Etsi enim vitales fuerint deprehensi, qui vel quinto à conceptione mense eruperint: membrorum tamen gracilitas, & tenuitas, & inualida temperies sat docuit: malè agi cum eo, qui ausu immaturo naturam præuenerit.* Abortiunt item in Rep. & portenta pferunt; quotquot obliti modestiæ, & pennas vltra nidum extendentes canino quodam gloriæ appetitu, dignitates aucupantur; & ambiunt honores aut officia, quorum sunt incapaces atq; indigni. Hæc rabida & præcox eminendi libido Pyrrhum perdidit: qui cum Cynea disputans, Thessalorum eloquentissimo: qua spe adoriretur Romanos, bellicosissimis gentibus imperantes? Nulla, ait, ciuitas deuictis Romanis nos sustinebit. Quid Italiâ occupatâ? interrogatus, respondet: vicina Sicilia est; manus porrigit. Quid hac vastatâ? Africa & Carthago erit ad nutum meum. At Macedones se opponent, & vires

Aristo lib. 1. de generat. animal. c. 2.

Vt fœtus in vtero saluus cum matre esse nequit, cum inuolucra sua perrumpit ante tempus:

Fernel. l. 6. pathol. c. 17. Cardan. contrad. 8. tract. 3. lib. 1. Francis. Vales. c. 18. de philos. sacr.

Sic ambitio in Repub. nõ nisi monstra pariunt, & πολυπραγμοσύνη.

Plutarch. in Pyrrh.

suas

ſuas tota Græcia? Hi quoque depopulandi ſunt oppidatim. Quid agemus, potiti his omnibus? Viuendum inter triumphos; alto ocio delitiandum, inter compotationes & ſuauiludia. At quorſum * δι' αἵματος, καὶ πόνων μεγάλων, καὶ κινδύνων μέλλομεν ἀφίξεσθαι; quàm præſentibus moderatè vti. Sed ruunt ambitioſi in fatalem perniciem, præeunte Pyrrho; cui tegulam muliercula, ambabus libratam manibus, in caput impegit, animam eliſit. *Supereſt vmbilicus; qui quaſi vmbo in medio ventris, imò totius corporis, ſi brachiis extenſis dimetiaris circulum conſiſtit. Hoc ligamento, ex quatuor vaſis complicato, non tantùm matri adhæreſcimus, intra latebras vteri: ſed nutritionem quoque & vitam haurimus. Quod ſi corruptelam patiatur, quo loco erunt res concepti fœtus? addo etiam perire natum; ſi obſtetrix vel fraude peccet in partu, vel imprudentia. Fertur enim Helena, Magni Conſtantini filia; cùm in Galliis marem peperiſſet; Euſebia inſidiis eundem perdidiſſe: cum ab illa corrupta obſtetrix mercede, nato vmbilicum plus quàm conuenerat, præſecuiſſet; digna ſupplicio ſanè exquiſitiſſimo.* Quid diſſimile agunt in Republ. qui monetæ, quæ commerciorum anima eſt & menſura, vel rodendo pondus minuunt, vel materiam adulterant, vel immutant ſigna? niſi vt contractus omnes & commutationes labefactentur: parum etiam hoc; niſi eaſdem euertant atque peſſundent. Romani catè ſatis cauteque egerunt: qui non modò officinam monetalem in Iunonis templo habebant; conſtituebant Triumuiros

** per ſanguinem, per multos ſudores, per diſcrimina perire malumus.* Plutarch. l.c.

Vitruu. li. 3. de architect. c. 1.

Hipp. de octimeſt. partu, tex. 4. Id. lib. de alimen.

Vt vitiato aut decurtato vmbilico per obſtetrices, periclitatur fœtus:

Ammian. Marcell.

Ariſt. lib. 1. Polit. c. 6. Bodin. l. 6. de rep. c. vlt. Freher. l. 1. de re monet. c. 1.

Sic adulterata moneta corrumpuntur commercia.

Monetales: sed scholam quoque aperiebant: vt ciuium liberi discerent, monetam adulterinam à vera secernere. Atque haud scio: perperámne Sueci egerint: qui nummorum adulteris hanc inflixerunt pœnam: vt in ipsam monetam colliquatam, falsarios viuos immergerent. *Olaus lib. 6. hist. sept. c. 13.*

Sed nos immensum spaciis confecimus æquor: *Virgil. 2. Georg.*
Et iam tempus, equûm fumantia soluere colla:

& faciemus; vbi artuum historiam, & corporis extremitatem breuissimo filo attexemus. Artus è trunco exporrectos ad militiam referemus: in qua maximè illis vtendum: & quæ inde elucescant simulachra, paucis dispiciemus. Ac dirimuntur ea in manus & pedes: quæ mutuis operis opera varia & præparant, & conficiunt: perinde atq. in bello curandum; quomodo suscipiendum id, quomodo gerendum esse videatur. Equidem, si rem æstimio suo perpendo; de belli præparatione pedes aliquam lucem adferent: manus, quid in gerendo & conficiendo vtile præmonebunt. *Non autem pedis vlla cernitur actio, non progressio de loco in locum; nisi caussa quædam & iusta, & necessaria, & euidens appetitum prius mouerit. Quamprimum enim obiectum videtur cerebro vel expetendum aliquid vel auersandum; vt eques habenis equum agit; ita vis animæ motrix, in cerebro sedens, neruis quasi habenis, musculos excitat: vt pro arbitrio pes hinc inde moueatur.* Scitum profectò & sapientiæ plenum, etsi tacitum naturæ monitum! Non enim cœco ductu, aut dominandi prurigine, aut suspicione, ad arma prosiliendum: non ob canes ereptos, non currus pellium ablatos, non propter amasii noctem, Marte decernendum venit. Re namque compertum

Fernel. l. 6. pathol. c. 13. Laurent. l. 5. anatom. c. 5.

Vt pes ratione regitur ad progrediendum:

Sic ad arma veniendum iure & consilio.

est;

eſt; quod plerunque

* οὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα, σῶς ἦλθεν πάλιν.

** Iniqua bella bellans, ſaluus haud redit.* Eurip. Erecht. *Lipſ. lib. 5. pol. c. 4.*

Iuſta ergo & legitima ſit cauſſa, atque ita neceſſaria: vt nulla ſit alia ratio expediendæ ſalutis; niſi vt vim vi à corpore fortuniſq; ciuium, aut ſociorum aut oppreſſorum propulſes: aut repetens res tuas, per fraudẽ ablatas: aut vindices iniuriã Deo illatam, vel Reip. vel Eccleſiæ atrociſſimã. Cyri equidem caput, in vterum ſanguine feruentẽ coniiciendum erat: cùm Tomyris Reginæ quieti inuideret, ac inſidiaretur regno; nullâ nec vi ab illa, nec iniuriâ laceſſitus. *Ac pedis quidem pars ſuprema, femur dicta, quam pollet inſigni robore! non modo propter pulpoſam carnem; ſed interius quoq; os, omnium longiſſimum & maximum. Hoc*

Herodot.

Vt femoris os longiſſimũ eſt, firmiſſimum:

Valla lib. 4.

Lyg. lib. harm.

——— molem ſuſtinet omnem
Corporis, inſertum cotylis, ſinibuſq; profundis:
Quin caput ipſius mirâ compage cauatã
Voluitur in coxa, valido inuiolabile nexu.

Vanus erit iuxtà & infelix; qui exercitum ſe alere poſſe putet; niſi à potentiâ & facultate rerum omnium inſtructus abunde fuerit: ſiue de ſuo habeat, vnde ſuggerat; ſiue in benignitate fœderatorum confidere tuto & quieſcere poſſit. Artifices illi gerendæ militiæ, Romani; vt perpetuò ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos milites proſequendoſq; ſuppeteret; ærarium militare inſtituerunt. *Atq; vt femoris & tibiæ compaginem tegit, firmatq; patella; os rotundum, adhærens articulationi, genuq; conſtituens: ſic commeatus ad potentiam facit quam proximè. Abſque oſſe illo ſi foret: caderemus ſanè toties, quoties per decliuia ambulandum, genuue pluſcu-*

Sic ad bellũ potentia inſignis, propria, amicorum requiritur.

Sueton. in Aug. c. 49. Tacit. lib. 1. ann.

Vt cadendũ eſſet per decliuia, ni firmaremur patellâ:

Hipp. de loc. in hom. Gal. 3. de vſ. part. c. 15.

lum inflectendum esset: itaque
—— femur ipsum
Impedit in partes ruere elabiq; priores: Lig. l.c.

An sine annonâ & re frumentariâ incedere exercitus poterit? an potius penuriâ victus laborans ita eneruetur: vt sine ferro vinci queat? Notum esse debet, quod Cambysi tristi spectaculo & fini accidit. Qui cōmeatu destitutus, nullâ antea nec supputatione factâ, nec apparatu; decimum quemque militem sortiri, necarique in cibum iussit. *In crure fibulam mihi specta & tibiam; illam extrinsecus inductam; hanc porrectam interius: vtraque longitudinis est aequalis, & cum faemore superius articulatur: valido autem inferius*

Sic absque annona exercitus non valet.

Herodot. l. 3.

Galen. lib. 3. de vs. part. c. 13. & lib. de off. c. 22.

—— ligamine sura
Proxima turgenti, talo sociatur eburno. Lig. l.c.

Haec ipsa ossa, formâ suâ, cannis simillimâ, designant arma: & vt summè necessaria sunt, ad progressum expeditiorem; ad securitatem pedis, faemorisque firmitudinem: ita cum armis comparatum esse, nemo infitebitur. *Tibiae os matus est, atque onus impositum sustinet fortius*: perinde atque machinae fulminales feriunt dirum in modum: siue Chinensibus tribuatur earum inuentio: siue genti nostrae verius;

Archangel. Piccolhom. 2. hom.

Vt tibiae os sustinet fortius onera: Sic tormēta ad feriendū vehementissima.

Dum parat humano generi Chymista medelam:
Sulphura Mulciberis dum sale mista coquit.

Camerar. cent. 2. hor. succes.

Fibula minor est; sed insigniti commodi: sic minora & portatilia arma non sunt minoris necessitatis; quandoque etiam gladiis maiorem stragem edimus. *Ac tibiae quidem pars anterior, quam est acuta! eousque, vt cultri aciem effingat.* Sic arma sint, oportet,

Vt parua fibula est magni vsus: Sic minora arma. Vt os tibiae est peracutū:

tet, ad ictus inferendos aptissima; non ærugine aut situ corrupta; sed mucronibus acutissimis, & frequenter abstersa. Mario ad victoriam de Cimbris non parum profuit acies in Orientem conuersa; vnde ex splendore galearum ac repercussu, quasi ardere cœlum videretur.* Δεινότεροι γὰρ οἱ ἐπιόντες φαίνονται λόχοι τῇ τῶν ὅπλων αἰθύγμασι: καὶ πολλὰ τὰ δι' ὄψεως δείγματα προσεμπίπτοντα ταῖς ψυχαῖς, παρέτρεπει τὸν ἀντιπόλεμον. *Cum extremo pede milites confero. Eius extima cutis, quæ plantari musculo substernitur, quò fuerit crassior; eò minus aspritudinem viarum sentit, aut callis obducitur.* Et est quisquam in Republ. tàm peregrinus; vt ignoret? optimos eligi ad gerenda arma ex locis durioribus, & asperioris aëris. Qui enim sub laboribus nutriuntur & dio; solis euadunt patientes, paucis cõtenti, animi simplicis: mortem deniq; minus timent; qui minus delitiarum in vitâ nouerint. *Etsi verò pedium, calx, tarsus, digiti sex & viginti ossib. constant; plurib. quoq., si sesamoidéa connumeres; nec magnitudine eadem, nec figurâ: ita tamen conspirant inter se amicè; vt ad gradiendi officium, suo quoduis loco, facultates suas cõferant.* Hoc in exercitu valet sacramentum: quo diuersi ordinis milites, solenni verborum rituumq; apparatu iurant: facturos se omnia, quæ Imperator præcipit: nec deserturos militiam, nec mortem recusaturos. Plenissimũ est dignitatis encomiũ: quo Scipio in Africa armatos producit milites; Iuxtaque turrim ostentans, in mari altissime se efferentem: Nullus horum omnium est, ait: qui non conscensâ turri, semet in mare præcipitem acturus sit: si ego indicium fecero.

Luc. Flor. l.3 c.3.

** Milites enim quasi micantibus armorum scintillis terribiliores apparent: multaq; per oculos species in animos delapsa, perterrere aduersarios solent.*

Onosand. in strateg. c.28.

Plato lib. 2. de repub.

Plutarch. in vita Coriol.

Veget. lib. 1. de re milit. c. 3.

Plutarch. in Apoph.

Sic arma sint acuta, splendida.

Vt cutis pedis, quò crassior, eò minus callis obducitur:

Sic milites eligantur laboriosi.

Vt pedis ossa sex & viginti cõsentiunt omnia ad gressus:

Ita sacramẽto omnes milites ad labores adiguntur & obsequia.

Non possum, quin prouidentiam naturæ mirer in digitorum numero; quos quinquefariam distinxit; ternisq; ordinibus singulos, excepto pollice fabrefecit. Fit inde, vt eleuari queant promptius, extendi: subtectis insuper nonnihil cedere; dum præsertim stando, matri terræ innitimur. Requirit & belli apparatus non vnum militis genus: sed mixtos cum equitibus pedites; cum cataphractis sclopetarios, hastarios; cum veteranis tyrones: exiguntur stationarii, limitanei, pręsidiarii, subsidiarii, prętoriani: addo his quoq; tubicines; neq; immeritò. Prudenter, n. Sentius, cũ petẽdus esset agger, scalæq; erigẽdæ, ot cinere tubas iubet: vt animos, si qui torpescant, excitet

Vt digitorũ ordines & & opera variant:

Bauhin. lib. 4. theat. anatom. c. 39.

Sic militum genera & apparatus sint diuersa.

Cornel. Tac.

—— stridor lituum clangorq; tubarum.

Lucan.

Sed iam manum manui admoueamus: & vela postea remosq; in portũ dirigere meminerimus. Ac in magna illa manu se humerus offert, osse insigni, musculis nouẽ tàm aptè implantatis; vt modo sursum, modo antrorsum, retrorsum modo, modo in circulum agi commodè brachiũ possit. In hoc eximium robur pro apprehensione & labore difficili, est constitutum: in hoc vires & valorem hominis sacræ literæ collocare videntur. Hæc firmitas est, in corpore militari atq; exercitu, disciplina: quâ prudenter præscriptâ & administratâ seuerius; stabilimentum imperii habemus, & vinculum tenacissimum: è cuius sinu omnes triumphi manarunt. Quod cùm perspiceret Tamerlanes Scytharum Dux: gregarii cuiusdam militis, quòd mulierculæ lac furatus esset, statim gladio perfodi pectus iussit, aperiri viscera: & lac, à ventriculo nondum in chylum subactum, excuti. *Nimirũ res docet: vt pœnas, sic licentiam vnius atq; alterius in-*

Galen. de diff. musc. c 18.

Vt in brachio robur sacræ literæ collocant:

Lucæ 2.

Sic militiæ firmitas omnis in disciplina consistit.

Iouian. Pontan. lib. 5. de obed.

Licêtia paucorũ neglecta corrumpit totam societatem.

super habitam plurimum, in vtramq; partem posse. Simili infelicitate visum est vlcus in humero: quod negligentius in principio habitum, tam longo & obliquo sinu protensum fuit : vt ad nates penè ipsas serperet; apertumq; saniem ibi effunderet. *Prætereundus minimè est cum radio cubitus; qui à flexurâ brachii ad carpum protenditur: cuius*

Iul. Alexan. de traffic. li. 7. simpl. Galen.

Vt brachii vlcus neglectum latissimè serpit.

Gale. l. 2. de vs. part. c. 5.

——— excessus candentia brachia circum
Commissi, inq; humeri cauitate, sinuq; locati,
Incurnant, tenduntq; manum: velut vsque supinam
Et pronam faciunt fortes ad brachia nexus.

Vt cubitus manum reddit pronā, supinā:

Hinc alium atq; alium situm in disponendo seruat Imperator : vt iam longissimum agmen instruat; quale Turcis opponendum: iam quadraturâ æquilaterâ milites contrahat ; quam tutissimam putant , & validam aduersus irruptiones: iam incuruet ad similitudinem Lunæ; vt productis cornibus sinuetur. Talem instruxerat aciem Hannibal in Cannensi pugnâ: & profligabat, superabatq; hostem: cùm Asdrubal opportunitate loci dextrum Romanæ aciei cornu adflixisset.

Achil. Traduc. in Turc. vincib. Thucyd l. 5. Veget. lib. 5. c. 15.

Sic in acie alius atque alius obseruatur situs.

Appian. de bel. ciu.

In extremâ manu nihil æquè suspicere contingit; atq; digitorum miranda opera: quæ illi, sine multo nisu, sudore aut vt externâ conficere ; & naturæ conatum audacter æmulari solent: quo nomine

Gal. 3. de Vs. part. c. 1.

Vt digiti manuum admiranda conficiunt opera:

Sic partita manus scissurâ tota decentis est.

Liga lib. 1. harm.

Quid enim Myrmecidæ quadrigas referam? quas cum agitatore suo musca contexit alis. Quid commemorem Regiomontani muscam ferream? quæ de artificis manu

M. Var. lib. de ling. lat.

——— erupit, & omnem
Circuitum latè lustrat, gyroq; peracto
Conscia se ad Dominum pennâ languente recepit.

Guil. Salust. hebd. 1. li. 6.

Sic stratagematis expugnantur difficillima.

Hanc digitorum facilitatem & motus agilimos nónne Imperator & intuetur, & imitatur? cùm callidis consiliis & obliquo ductu, per stratagemata hostium vires frangit: vt ciuium parcat sanguini; præl ancipitem fortunã ne periclitetur. *Veget. l. 3. c. 9.* Lacedæmonios nemo est, qui atro esse carbone notandos censeat. Illi, cùm astutiâ superassent hostem; immolabant Marti bouem: cùm prælio, gallum: quod gloriosius esset, consilio, quàm vi decernere. *Tota autem exporrecta manus; quâ monticuli apparent, quâ lineæ, quâ internodia conspiciuntur; quantum habet autoritatis, efficaciæ quantum? Tantũ profectò, vt dextrâ præsertim exhibitâ, amor quasi pignore obsignetur; fœdera, matrimonia, commercia stabiliantur. Quanquam Cyrus conuiuas, quò honoratius exciperet in sinistrâ locare fuit solitus: cùm digniorem hanc partem ex cordis viciniâ & adfinitate iudicâsset.*

Vt porrecta manus sit amoris signum:

Alex. 2. dier. gen. c. 19. Xenoph. in Cyropæd.

Puto apparere hac imagine; quid victorem deceat erga eum, quem Marte prostrauit, aut flexuosâ arte. Manus victo est porrigenda, beneuolentia deferenda; nec habendus inclementer, quem Fortuna satis exagitat & miseria: quippe

Sic victoria sit inuitamentum benefaciendi victo.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.

Ouid. 3. & 5. Trist.

Splendidiora ergo laudum tropæa reportarunt Agesilaus, Epaminondas, Alexander, Cæsar; qui victoriâ modestè vsi sunt; quam Antigonus Asiæ Rex, siue etiam Attila: qui crebris victoriis elatus, iactauit, stellas præ se cadere; terram sibi metuere; se malleum esse terrarum orbis vniuersi.

Plutarch. in vit.

Nicol. Bola. in aul.

Nunc perlustratâ hinc inde Republicâ: secto atq; etiam considerato homine, suis partibus: non dabo vlterius ve-

la: sed prætermißis iis, quæ copiâ orationis ampliari poterant; littori adremigo: & in portum me lubens lætus conuerto. Credo etenim, & quemadmodum opinor, haud erro errorem: constare iam multis nominibus: quam nobiscum, & in corpore nostro, circumferamus imagines luculentissimas, in humanâ societate feliciter viuendi. Quæ cùm ita sint; vt negari nequeant: quis tam erit iniquus rerum arbiter? qui dum membra intuetur sua; nolit eadem referre ad salutem publicam? Ad Garamantas ergo & vltimos Indos exulent; qui membrorum sanctimoniam profanant; manus rapinis, pedes insidiis, oculos lasciuiâ, calumniâ linguam, aures nugis, cerebrũ stultitiâ, ventrem voluptatum obscœnissimis seruitiis. Sanctissimæ Trinitatis delitium est corpus humanum, & Spiritus sancti templum: quod ô purifica sanctificator DEVS, tu nos

Psal. 51. v. 7. *—— hyssopi, sator alme, lustra*
Frondis adspersu. maculaq; cedent:
Membra candorem tibi lota vincent
Pura niualem.

Bonitas tua, Iehoua, miseratio, sapientia, prouidentia animo meo nunquam obliterabitur:

Psal. 139. v. 15. *Tu mihi carmen eris, cuius compagine iuncti*
Inter se fragilis coierunt corporis artus.
Quem non exigui vel crenula fugerit oßis,
Artificem, superantis acu Nilotida, texti:
Ibid. v. 24. *Quod manus absoluens tua ventris neuit in imo.*
Huc oculos aduerte tuos, si fortè vagantem
Deuius officii de tramite flexerit error,
Fraude via: errabunda retro vestigia torque,
Et vita me redde via, callisq; salutis.

FINIS.